6
1-a
6

6
3 C
12

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google



Antverpiæ Apud Henricum Aertſſens
cum priuilegio.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO,

D. IACOBO BOONEN,

ARCHIEPISCOPO

MECHLINIENSI,

BELGII PRIMATI,

Regiæ Maieſtati à Conſiliis Status, &c.

ILLVSTRISSIME PRÆSVL,

ETſi dehortari debuit immeritę meę tenuitatis agnita ratio, quo minus præſumerem ſublimius Illuſtriſſimæ Tuæ Gratiæ faſtigium ſuſpicere, auidamque libelli cupiditatem ſiſtere, qua in adyta benignitatis Veſtræ, inſinuare ac deuouere ſe ferebatur; efficaciùs inuitauit, ſecurumque impulit ſuauiſſima ea dignatio, quâ etiam minutiora quæuis augere præuales. Iuſſit materia,

teria, & fiduciam creauit, quam inferior opera arguebat, quin omnino obſcuram lucem viſæ queri Camœnæ, & nouercales ingratias ituræ, ſi fauoris Tui auſpiciis fraudarentur: adeoque omnia conſpirare & vrgere, vt alioqui debitum nefariè ſubducere cenſerer. Et quo grandæua illa, quia Virgineo Partui Priuigna, ſeries, rectiùs procedat, quam ſi in conſortem tantarum virtutum, affinemque Heroum, quos pangimus, animum contendat? Quî tutius ætates, quàm ſi vegeto Venerabilis Tuæ Ætatis robore ſolidentur? Vlnas olim ſeniles Chriſtus infans beauit, meta illa quam toto ſtadio ſtudioſè ſuſpiras, præuium Patriarcharum agmen ſequitur & adducit, radicemque ſalutis germinantem dirigens ac aſpiciens, in Proauis dotes cognoſcit, quas denuò Tuæ magnitudini inſeruit: ſacerque ipſe cœtus ſuaui reciprocatione de meritorum ſpectata ſublimitate oblectatur: vt particeps fieri hoc compendio deſideret, qui omnis conſummationis compendium claudis.

Ætates ſiquidem diuidimus, quas omnes

pleno

pleno æuo coniungis, varios variè laudabiles efferimus, quorum omnium veſtigia refers, ab eo degenerare neſcius,qui regenerationis noſtræ eſt author. Sed enim ne pondus Honorabilis æui *Puerilis* ac *Paſtoritiæ Ætas* dedeceat, candore innocuo præſtas: & Dominici ouilis portionem commiſſam fideli adeo cuſtodia ſeruaſti dudum, vt anguſtius Belgii Hemiſphærium conſpicuæ lucis in exemplar diuerſis regionibus luculenter communicârit. Paſtor verè optimus inter oues, Ouis fida Apoſtolici gregis: nec immeritò conijciam, quia innoxiæ vitæ inſtituto adlaborare velles, primęuæ integritatis ſuſcitare ſalutem. Quo clypeo & armaturâ munitus cęleſtem *Militiam* gnauiter exerces, *Ducíſque* ſtrenuè munus obis, vt deſes & excors ille ſiet, quem non Tanti anteſignani robur admoneat, morticinè egelidus quem, non zelus accendat. Ne porrò faſces eos omittam, quibus Deo obtemperare ac ſubeſſe, pręeſſe mundo omniq́ue viciſſitudini, & lubricum omnem frænare impetum vales, vt proinde

innu-

innubilâ ceruice *Regiam* ſemperque ſerenam frontem exporrigas, quique generoſo aduerſum vices omnes ludibrio dimicet, vultum opponas. Vtque ea maioribus augurijs dudum proluderent, quam ſenio Maieſtatem imples, quam profundâ humilitate ſtudioque latendi obnubis! equidem vt typus eſſe adnitaris, quos ſelectæ vitę ſolitudo abdiderat, & famæ odoras nares ſubterfugere laborabant: vt nihil eorum Pontificum, quos in graui *Mundi ſenio* recolimus, laudes à Te alienum quidquàm oſtentent, quùm omnium Pietatem ac robur renouatum exſeris. Denique ſi *Sanctitatis* Æuum finiendo admemoro, ibi, nec præter alibi, conquieſcis, intimumque olim Temet inſinuas. Sed quorſum? nec enim animus mihi aut facultas encomiis habenas permittere; cui pronum adeo ſtylo impare derogare, quàm modeſtiæ Veſtrę moleſtum eſſe: fucus hic omnis & verborum lenocinium, quamuis tam eximias aures numquam attigerint, ſinceritatem ac veritatem obtinent, & quidquid apud immeritos adulantum coaceruant blanditiæ,

ditiæ, debiti pondus habet. Non dicam quam continuo indefeſsè prout innumerè Deo, Patriæ ac Regi Te probaſti, omniaque quæ præſens miratur ætas, præmiſſæ, quas enarramus ſuſcipere, ſibique æternum ſociare geſtient, futuræ imitari maximè contendent. Non abnuet Ill.ma Tua Dominatio, quod modò vnum ſupplico, vultum benignum oblato Patriarcharum Ordini, quem augere denique adſpiret, & nimiæ humanitatis beneficio, fauoris publici lucem parare.

Illuſtriſſimæ, ac Reuerendiſſimæ Gratiæ Veſtræ

Humillimus ſeruus & Cognatus

F. Ioannes Baptiſta vanden Cruyce. Aug.

Antuerpiæ è S. Auguſtino. 14. *Maij.* 1654.

APPROBATIO.

ÆTatem author ſuperat, dum mundi has Ætates verſu, quod intentatum hactenus, tam elegante deſcribit. Legant vtinam & memoriæ mandent quamplurimi, vt Generationem eius, qui nobis æternæ eſt auctor, condiſcant & enarrent alijs.

Ita voueo & cenſeo

F. PHILIPPVS van ELICH,

Gymnaſii Antuerpienſis Præfectus.

VI. Kal. Maij. M. DC. LIV.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EX commiſſione R.^{di} adm. P. M. N. Prouincialis Ordinis Eremit. Sancti P. Auguſtini per Belgium, legi Ætates Mundi eleganti carmine deſcriptas à R. P. IOANNE BAPTISTA VANDEN CRVYCE, & nihil reperi quod ſit bonis moribus aut fidei contrarium, ſed omnia prælo digniſſima. Hac 26. April 1654. Antuerpiæ in Conuentu Auguſtiniano.

F. CONST. HECHTS

Ord. Præfati Religioſus.

Libellus hic, cùm non contrarietur neque bonis moribus, neque fidei orthodoxæ, typis diuulgetur. Ita iudico. Hac 8. Maij 1654.

Chriſtianus Voochts Archidiaconus,

& lib. Cenſor. Antuerp.

LICENTIA R. P.

M. PROVINCIALIS.

Viſo Teſtimonio Venerabilium Patrum Ordinis noſtri, quibus lectionem Genealogiæ Iesv Christi *per Ætates mundi ab Hon. P.* Ioanne Baptista Vanden Crvyce, *Ordinis noſtri Sacerdote Latino Verſu deſcriptæ commiſeramus, concedimus quantum in nobis eſt eiuſdem in lucem publicam editionem. Signatum Bruxellis 2. Maij* 1654.

F. Ignativs Dyckervs Ordin. Eremit.
S. Auguſtin. Prouincialis.

ERRATA

fol. 13. *v.* 17. ſæclo. *fol.* 44. *v.* 9. impatiens. *fol.* 80. *v.* 16. Cum ſuperis populo. *fol.* 83. *v.* 12. tueare. *Ibid.* *v.* 14. legit. *fol.* 85. *v.* *vlt.* ſeu. *fol.* 160. Tit. Eliacim. *fol.* 180. *v.* 10. multos. *fol.* 206. *v.* *vlt.* libros. *fol.* 212. *v.* 19. manu. *fol.* 219. *v.* 7. irrupit. *fol.* 237. *v.* 6. Verbum. *Ibid.* *v.* eod. caruit. *fol.* 243. *v.* 26 ſcrobe.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI
F. IOANNI BAPTISTÆ
VANDEN CRVYCE,
Auguſtiniano.

QVando moras tabulis pingendis nectit Apelles,
Dicitur æternam pingere mente diem:
Ætates mundi qui carmine ſtringit acuto,
Æternam nunquid pingit & ipſe diem?
Non dubito, ſimilem referet condignus honorem,
Laudibus Ætates ſæcula cuncta dabunt.


Plaudebat Cognato ſuo F. Maximilianus
à S. Maria Magdalena, aliàs
d'Houyne, Carmel. Diſcalc.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei Gratiâ Rex Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ, vtriuſque Siciliæ, &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Artheſiæ, &c. Diplomate ſuo ſanxit, ne quis citra voluntatem HENRICI AERTSSENS, Typograp. Antuerp. Librum, cui titulus eſt, *Genealogia Chriſti per Mundi Ætates, deducta*, Auctore R. P. IOANNE BAPTISTA VANDEN CRVYCE Ord. Erem. S. P. Auguſtini, proximo ſexennio imprimat, alibiue impreſſum in haſce ditiones inuehat, venalemue habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die 17. Aprilis 1654.

Signat.

Loyens.



BIBL. ROMA VITTORIO EMANUELE

E. Quellinus del. Richard Collin sculpsit

Digitized by Google

Digitized by Google

Adam, & Eua.

Linea infamis.		*Linea Chriſti.*
Cain.	Abel.	Seth.
Henoch.		Enos.
Irad.		Cainam.
Mauiaël.		Malaleël.
Mathuſaël.		Iared.
Lamech.		Enoch.
Iabel. Iubal. Tubal.		Mathuſales.
		Lamech.

ADAM,

[illegible] by Google

ADAM,

Terræ filius.

[library stamp: ...A NAZ... ROMA ...ORIO EMANUELE...]

ÆNIGMA.

HVc oculos, animumque; leges miranda, viator.
Primus homo tumulor, tumulus, morſque ipſe ſequentûm;
Omnes nempè vno ceruices impete fregi:
E cœno cælo, è nihilo velut omnia factus,
Fictus homo, & verus. Quo ſim genitore creatus?
Patre orbus, non orbus eram, non poſthumus vlli;
At ne me genitum, ſed factum crede parenti.
Expers vnus ego patris, genitricis ab aluo
Exiui numquam. Mecum vis noſcere matrem?
Cùm perij, agnoui. Quin & mihi lignea nutrix,
Et ſine lacte fuit, nec pauit lactis egentem,
Solicitæ ſoror è gremio mihi prodita matris,
Cultorem expreſſo ſucco lactauit adultum.
Filia, quam duxi, nec certè eſt filia coniux,
Aut patre rapta ſuo, rurſus cognouit eundem,
Vt me patre grauis mundum mundo ederet omnem;
Sternimus vnà auiam, vix nata eſt nupta, tulitque,
Quo caderem, auxilium, frugem deperdimus vnâ
Fruge omnem, noſtris confidens morſibus ex quo
Turpis auarities orbem toto ore voraret,
Et mordax liuor ſtirpem accuſaret auitam;
Vnoque à morſu mors inſatiata maneret.
Immortalis ego vitam, mortemque creaui;
Omnes debetis, quod vos debere, paraui.

Et mea me proles errantem ponè ſecuta eſt,
Promptior in vitium. Quis me malus abſtulit error?
Doctus eram; at quantùm mortalia corda ſciendi
Veſano impellit motu damnoſa libido!
Omnia cùm ſcirem, fruſtrà plus ſcire petebam,
Et cupidos aduerſa ſubît dementia ſenſus.
Illecebris maleſuada virum me femina pomi
Ceperat, & veritæ delibans fercula ſtirpis,
Eijcior ſiluâ, ſiluam dum carpo, beatâ.
Infimus è ſummo, factuſque è rege colonus;
Et quia non colui cælum, mihi terra colenda.
Hoc vno conſors mihi coniux, compare fato,
Quod conſorte iugo gemimus, noxæque reatu.
Sudantes vnco matrem diuiſimus vngue,
Donec nos vtero naſcentûm excepit origo.
Scilicet infidi monitis cæleſtibus ambo,
Coniugem ego, meque illa, & vterque occidimus omnes.
Vnius mala tot ſunt nata cupidine mali:
Quâ ludens medijs ſinuoſus frondibus anguis,
Mortiferum vomuit, cunctique hausêre venenum.
Veſter ego, ô ſeri poſt plurima ſæcla nepotes,
Heu! vobis numquam viſus, vos ante peremi,
Quàm genui. In melius facies eſt verſa malorum;
Quæque arbos virus fuerat, mihi facta medela eſt.
Mulctatuſque Deus culpam abſtulit. Ille reuerſus
Infernum dum carpit iter, cæleſtia ſcando.
Et niſi peccaſſem, minus attentâſſe putarer:
Maioris ſpecies quandoque eſt perdere lucri.
Vis nomen? Græcis, vide, quæ ſint quatuor orbis,
Anatoli, Diſis, Arctos, Meſſembria partes;
Junge caput ſectum capiti, iam nomen habebis.
Mille annos vixi, ſi demas ſeptuaginta.
Poſt centum, triginta duos, & millia quinque,
Surrexi tumulo, Chriſto viſente, relicto.

CAIN,

CAIN,

Adami filius.

EPITAPHIVM.

INferias hùc ferales, mala verba, viator.
Tertius hic inter viuos, primuſque malorum,
Ingratus cœlo, nec frugum munere dignus,
Cœpit auaritiâ totam corrumpere frugem,
Imponens peiorem aris. Sator ille nefandus,
Eſſe querens ingrata ſibi ſata, cedere fratris
Non vltra paſſus nimiùm feliciter Aris,
Mactauit fratrem, ſi victima gratior eſſet.
Mortem inuenit, & inuexit; mors horruit ipſa
Iſſe per inſontis primo vibramine pectus,
(Orbo parte ſui magnâ crudeliter orbe;
Heu quantum concepta animis exorbitat ira!)
Et meſſem vltrici meliorem falce luiſſe:
Ceu lacte, innocuo deîn oblectata cruore,
Inſontes petit, & mundo ſecurior inſtat,
Fraternâ diducta manu, dextroque furore.
Haud impune feret. Jamque ecce apparitor vmbra eſt,
Silua forum peragit, teſtis vel mortuus vrget,
Quemque fugit, Deus eſt, & mens malè conſcia facti;
Fruſtra, inquam, fugit inſanus, ſequiturque ſeipſum.
Mendacem mendax fugat vmbra, ſceluſque ſceleſtum:
Omnia tuta timet, veluti fortuna locorum,
Non ſua ſe premeret. Tanti eſt ſpreuiſſe timenda.
Vitam odit, mortem fugit, atque vt nullibi viuat,
Viuit vbique, & iniquo eſt omnis ſub lare fundus.

Vallatis primam tutauit mœnibus vrbem,
Vt qui nec campis, fieret vel carcere tutus,
Vel tenebris; ſed nulla malis ſincera latebra.
Eſt malè vbique malis. Mox ſtructâ pulſus ab vrbe,
Rurſus amat ſaltus, oculoque errante Lamechus,
(Namque manus errare nihil potuêre cruentæ,
Inque ſcelus docilis, faciliſque occidere dextra)
Quem putat eſſe feram, errantem ferit ille Cainum.
Efferus in fratrem fuerat. Cum crimine pœna eſt.
Sed bis vtrique ſcelus lugendum in prole parenti,
Seu dum punitur, ſeu dum committitur vnum.
Tartara fundauit, furijs raptatus iniquis.
I, fuge nunc, terramque quate, infernumque, viator.

ABEL,

ABEL,

Adami filius.

TVMVLVS.

IGnotam vocem de glebis fortè, viator,
Formidas, clamoſamque hauſto ſanguine terram.
Vocali conſiſte ſolo, néve effuge queſtus,
Quos cælum audiuit. Prima hæc mortalibus vrna,
Non prægustato paſta eſt farcimine tellus.
Paſtorum Primas iacet hîc, iuſtiſſimus ille,
Arbitrium de quo primum tulit inuida Clotho.
Fatidicum cui nomen Abel, dedit omina luctus;
Exitus auſpicio grauior. Lacrymare viator:
Vitam etenim nulli, flendum omnibus egit agonem.
Exercens Paſtoritiam, quam repperit, artem,
Vili ſceptra pedo mutans, regale gregali
Miſcuit in grege Rex, cuius non vita tributum
Penderet, aſt villi, lanâ contentus ouillâ,
Non etiam totis lanienæ viribus inſtans:
Neû ſeruet pecudis malè quæſta pecunia nomen,
Tondebat pecus, haud populum. Quin blandior illo,
Et preſſo lacte innocuis præ carnibus vſus,
Mitis alumnus alens; paſtor grege paſtus ab ipſo,
Rex ipſe inter oues, Reges ouis inter iniquos,
Aurum vellus erat, de caulâ fecerat aulam;
Et ceu purpureus, paſtoria pellis, amictus,
Pacis onus, ſceptrum, baculus ſylueſtris oliuæ.
Conſimiles alimento collactaneus agnis
Imbiberat mores, inſultans dente minaci

Cùm minùs effrenem rapuit toto è grege partem
Trux fera, & has terras ſacrato ſanguine tinxit,
Ille quidem intactis agnos admouerat aris,
Sacrificiſque focis dederat: ſed cædibus iſtis
Inuida luxuries. Sua ſunt libamina Diuis.
Hâcque mori dextrâ certarunt, læta beatam
Balanti ſeſe confeſſa eſt ore capella.
Annuit oblatis Numen, Diuûmque loquela,
Linguoſus ſuperis ignis tranſparuit oris,
Sacrataſque dapes lambit, frendente Caïno,
Qui procul inuiſum turbis, abducit in agros,
Deſertumque ferit, germanaque guttura figit.
Quo telo? Ligno. Ligno mors orta maligno eſt.
At quorſum impetijt? Jugulo. Sunt limina mortis
Fauces. Ne cæſo dubites in Abele Parentes
Mulctari: ſed peccantûm veſania quanta eſt!
Gutture compreſſo, Cain mutum eſſe putabat
Flagitium, & ſurdo crimen cum corpore tolli,
Sed quid agat? Fracto iugulo vocalior alter
Altiùs è tumulo clamat, terretque nocentem,
Et viuum citat extinctus. Nunc diſce, viator,
Iuſtitiam. Fratrem qui prodidit, omnia produnt:
Corporaque infandum facinus vel muta loquuntur.

HENOCH.

HENOCH,

Caïni filius.

IRAD,

Henoci filius.

MAVIAËL,

Iradi filius.

MATHVSAËL,

Mauiaëlis filius.

CENSVRA.

QVid potuēre igitur tibi, quid committere tantum,
Quod calamo indignēre tuo, ſanctiſſime Vates,
Henochum, Iradum, Mauiaēlem, Mathuſaëlem,
Poſteritaſque Caïn tacito ſermone notata eſt?
Nomen, nec vitam loqueris; nudumque trophæis
Inſcribis vacuis titulum. Quid nomen inane,
Quid ſine ſit geſtis? Quod ſunt ſine nomine geſta.
Nimirum faſtis, factiſque perinde caremus.
Fallor: teſtis enim manifeſtat facta propago;

Impro-

Improbitate probant, quâ ſint ab origine nati.
Expendis iuſtâ, Diuine Actuârie, lance;
Hoc unum ſatis eſt, genitos dixiſſe Caino.
Exurgunt, ortuſque ſuos mala germina produnt.
Progenies Patrum eſt ſimilis, vitiumque Lyæi
Continuant Thyrſi. Sic fœdum exemplar auito
Deformis, non difformis ſtirps ſtemmate traxit.
Quorſum igitur referat, mutato nomine, quę mox
Dixerat? aut cuncti ſimiles vixêre Caino,
In cunctiſve Cain, facinus crudele, reuixit.
Ergo iterùm in luctus. Sed ne quandoque locutum
Pœniteat Moſen, aurémque offendat amicam;
Nec tacuit, nec geſta etiam eſt infanda locutus.
Eſſe modeſtus amat, ne ſit fortaſſe moleſtus.
Oblitus numerare, ſed hoc prudentior, annos,
Nil etenim viuit, quiſquis malè viuit, & annos
Perdit, non habet impietas. Grauiora ſceleſtis
Supplicia exacturus adeſt, dum crimina celat.
Quos pungit, calamo expungit: quot nomina truncat,
Tot capita obtruncat. Nunc æternùm ergò iacete,
Inceſti, latrones, proles digna Caino;
Et latebram, ac tumulum, conceſſa ſilentia, dono.

LAMECH,

Henoci filius.

VATICINIVM.

PRogenies cæſo non inficianda parenti,
Facta inconſultum condemnant; & modò fata
Conſulis? ô quid agis? quæ te laſciuia demens?
Quid bis amas, amens bis, mancipiumque iugali
Te gemino ſtringis vinclo & diuortia pacis
Coniugio innectis duplici? eſt pro pellice coniux
Vtraque, fatidico fors vt ſis nomine dictus,
Lamechus, mœchus. Quænam hæc concordia diſcors,
Coniugibus cor partiri diſcordibus vnum,
Et prolem alternis alternam ferre nouercis?
Certa odia, & certum riuali coniuge bellum
Inſtat, in incertas pugnabunt vtraque tædas,
Et facibus geminus ciet aduerſis Hymenæus,
Et dum confligent, infligent vulnus amores.
Jam te damnauit repetendo funere cælum.
Si lucem ſeptem vltra ſeptuaginta videbunt,
Tu quoties gignes, amiſſâ prole dolebis.
Impius intereà genitor, quo germine terram,
Hoc oneras genere; & quod auo magis improbus illum
Configis iaculo. Sed nil tibi terra, Caino
Exanimi; debet, ſi vitâ, animoque ferino
Eſſe Cain pergis; pergis, natoque perempto
Credis aui manes placâſſe; at, ſiue ſceleſtos
Gignis, ſeu perimis, fœcundo crimine creſcis:
Mortem illi, vitijs vitam tua tela dedêre.

Id malè habet, meritoque malos, per mutua quòd ſe
Plectunt arma, malum, quod non ſine crimine plectunt.
Rima ſcelus letho eſt. Et inanes luminis orbes,
Et furuâ longam ducis caligine noctem,
Et prius orbe cares, quàm vitâ; filius adſtat,
Atque manu regit errantem, præit indice greſſu;
Tu gnatos non rexiſti. Mox ibitis vnà:
Præcipites conuoluit aquas, & colligit imbres
Æther, naufragium reſtat commune ſceleſtis,
Deficiat medijs vt flammâ cupidinis vndis,

JABEL;

IABEL,

Lamechi filius.

PROSOPOPOEIA.

SI malus es, ſiſte hîc, & dic bona verba, viator.
Lamecho ſcelerum prognatus patre patronus,
Deque malis meritus bene, dum mala nulla latebant,
Pelliceis primùm villis tentoria fixi,
Spectantemque polum rapui. Tum crimina tuta,
Si bene tecta manent. Quod iniquo inuenta latebra eſt,
Ingenij eſt, meritique mei; fiducia creuit,
Nec patriâ caruit, caruit nec patre, & adulta eſt,
Quod ſit inulta; ouium fallax cum lana rapaces
Inuoluit mentita lupos. Maiora peregi:
Cum pœnale homines traherent, & crimen, aratrum,
Duræ penſum operæ; ductis tentare ſepulchrum
Impatiens ſulcis, ſeruile vicaria iuſſi
Colla boum tolerare iugum: ſors durior vrget
Jumenta; hæc ſero prouidi commoda ſæclo.
Quidquid peccarunt iuuenes, gemuêre iuuenci.
Quæ rudibus tantùm armentis: & equeſtria deinde,
Quadrupedem primùm docui mordere lupata:
Greſſu equitem volucri volucres ſuperare, notoſque,
Jamque equus inſuetas rabidus ferueſcit in iras,
Exoſaſque quatit phaleras, ſpumantia frena
Ore remolitus tardam faſtidit arenam,
Ferrea ſcrutatur lapidoſos vngula calles,
Meque petit vindex. Sed equum conuerte, viator,
Ne tumulum euertat: ſuperos ego fugero fruſtra,
Si me nudatum tumuli intra viſcera ſpectent.

JVBAL

I V B A L,

Lamechi filius.

N Æ N I A.

ILle hic, qui quondam gracili modulatus auenâ
Carmen, & exiguum primus, quo ducimus æuum,
Spiritum in harmoniam ſeduxit, pellice tractu,
Cantibus irritans vocem, cæleſtia terris,
Atque planetarum modulos queis voluitur axis,
Finxit, & æthereas commiſcuit auribus auras,
Non per vulgatas chordis ſocianda locutus
Verba artes; citharæ ſenſerunt pollicis ictum.
Indignata, necem iurarunt ſidera; molles
Deuouet accentus, quibus olim duruit orbis.
Nec tutæ ſiluæ, liber neque cantibus aër,
Inſidias, ſua damna, ſcient volucreſque feræque,
Non iſtâ immunes ibunt dulcedine piſces.
Fallere Sirenes cantu didicêre, præiuit
Voce homo, geſtu ludens fallace, tonoque,
Fictio compoſito modulo vt ſincerior iret.
Ecce & perſequitur teſtudo, innoxius anguis,
Quodque tulit, nudata audit portatile tectum:
In chordas verſę pecudes ſua viſcera poſcunt,
Quique importuno ſub pollice contremit agnus,
Paſtorem arguit ingratum. Sed, vah malè paſtæ
Delicijs aures! Inter tormenta gementem
Vis cantare gregem. Crudelis! viſcera tendis,
Imparibus pecudum numeris diſcreta, choreas
Agnorum ad gemitus paſtorem ducere cogis,

Et gyro facili formare Ixionis orbes.
Vt nempè inficias animos, blandè afficis aures,
Et ludi obnubis ſimulatum tegmine crimen.
Conſcius vt mergat polypus, complectitur ante,
Tardaque delinit, cùm tentat aranea morſum,
Suauiter & mulcet mulier, cùm fallit, & auceps.
Tu cytharæ fidibus celas infidus amores;
Dira Venus neruis pecudum, nil tale minantûm,
Audaces hominum mentes eneruat, & illo
Corda ferit, quo chordam arcu. Irrepitque, pedemque
Expedit interea mors improuiſa propinquum.
Occupat heu lethum meditantes lęta citatum!
Exemplum toti Jubal ſpectabitur orbi.
Fila iocoſa liræ pulſanti fata recident
Exiguum vitæ filum, luctuque carebit
Author lætitiæ. Ridet modo Præfica mutum:
Lacrymulam ſæculo, nimirum, flente, negârat.
Spiritus indigno diſceſſit ab ore choragus,
Jamque rigent digiti, feſſæ ſeruile recuſant
Obſequium fauces; meritumque ſilentia vocis
Longa trahit. Tremulum fors guttur auena peremit.
Furuum adijt Ditem, nec eum ſua carmina mulcent,
Nec, velut Oeagrius, veteres remeabit in auras.
Riſit; at extinctus viuo ridetur in igne.

TVBAL,

TVBAL.

Lamechi filius.

ANTITHESIS.

MVſica nunc alia eſt. Auras permulſit Iubal,
Mox ferrugineis Tubal clangoribus aures
Obtundet, lepidumque melos immitiùs incus
Opprimet, impatiens vinci. Plectri ille repertor,
Hic gladij. Nôris prognatum vtrumque Lamecho,
Patre fero & molli. Dotem diuiſit auitam.
Is graciles ſonuit cantus, hic horrida bella;
Sirenes alter mouit, ſæuum ille Gradiuum:
Tam duræ præcepta artis faber improbus orbi
Protulit, ingenium genio inſtigante proteruum.
Ecce vt hic ex imo, ferrum propè Tartara fundo
Vulnificumque paret, crucietque veneficus enſem,
Omnia crudelis; toto marte aſper & arte.
Terrificam ſimul vſtrinam, ſonitumque, metumque
Commiſcens operi, flammiſque ſequacibus iras,
Igniuomos circum curſat, gyratque caminos;
Feruet opus, folles agitat fumoſus anhelos;
Exanimes toties, totieſque animati animantem,
Alternumque animum inſpirant, animamque fauillis;
Et crebris ſignant venturos ignibus ignes.
Crudus ferra coquit, ſtomacho ne concoquat iram,
Crudus ferra coquit, ſed erunt embammata mortes.
Indomitus chalybem igne domat, ferroque flagellat,
Stridetque, & tepidâ demerſus ſibilat vndâ.
Vt ferrum eſſe ferum incipiat, fabrumque recudat,

Seque

Seque vlciſcatur. Læſa eſt patientia ferri.
Heu faſtiditę quanta eſt induſtria vitę!
Quam natura breuem, breuiorem noxaque fecit,
Ars delere parat. Scelerato digna Caïno
Poſteritas! mortem ille vocauit, hic addidit alas.
Duxerat in campos, hic armat. Repperit ille,
Mortaleſque mori docuit, hic viuere nulli
Tutum permiſit. Caïn occiderat vnum,
Hic quantos! Vah ô mortis ſtudioſa propago!
Ars tibi perniciem, quamquam latura magiſtro eſt,
Quôque cadis, ferrum cudis. Jam dextra parentis,
Ferro armata tuo, ferroque ferocior ipſo,
Exhauſtum flando, nigrâ fuligine ſparſum,
Flagitium cumulans, renouato crimine tollit,

SETH,

Adami filius.

SIMILES.

NVnc meliora tibi, nunc germina ſacra, viator.
Penſantur peiora bonis. Quod denique Caïn
Suſtulit, hoc iterum mundo compenſat Adamus.
En geminatum in Abele Sethum. Eſt idemque, & ab illo
Eſt alius, frons eſt eadem, idem eſt ardor vtrique.
Jungere vis totos? tantùm mihi nomina iunge,
Quin ſerò fœcunda duos iam mater in vno
Ediderat partu, niſi bis peperiſſet eundem.
Vnum grandem animam nequijt concludere corpus;
Se fratri diuiſit Abel, patrumque voluptæ
Vnus bis natus. Nec in uno ſtare voluptas.
Nobilis inuicti generis deîn linea creſcet,
Et virtus, agitata ſemel, ſe patria tollet,
Sulciſque hæredes melioribus arua beabunt,
Et gregibus leges, neglectaque regibus arma,
Ingenio ingenuas artes, & pectora reddent.
Templa Deo, templiſque ſenes, iuueneſque vouebunt:
Et pietas irrupta, Sethi, merſo orbe, natabit.
Inuidiam Caïne tuam! fœcunda reſurget,
Quam calcas pedibus radix, vnumque metendo.
Innumeros ſeris, applaudentique aſſeris Orbi.
Sic ſemper noceat liuor, vindictáque pugnet!
Vulneris exemplum metuent inferna feracis:
Tertius vt ſuccumbet Abel; cum fœnore ſurgent.

ENOS,

Sethi filius.

ENCOMIVM.

NE iuſta expectes præconia, laudibus impar
Eſt calamus, ſuperat noſtram tua gloria pompam.
Numinis ignotum nomen mortalibus affers;
Impleuitque Deus corda, & quas condidit aures.
Nil fieri maius potuit, nec dicere quidquam
Dignius incipiam. Diuino hæc lumine virtus
Perſtringit reliquas. Nimirum interprete verbo,
Et Diuûm Patrem, *Verbo Mediante*, reclamat,
Aſpiranſque ſedet ſacrato Spiritus ore.
Jam pronum facile eſt Numen, rogitando, vocare.
Eſſe hîc empyreum, emporium, aut empyrica, iuſſit,
Cùm ſuperûm noſtro commercia nexuit orbi.
Officia opportuna! loqui vix Numina mundo
Deſierant; mundus ſcit compellare precando,
Ac velut inſertos ructare è pectore Diuos.
Nec ſuperis decus eſt leuius: ſua gloria cælo eſt.
Cùm prius ignotus cunctis, Deus omnia noſſet,
Et daret ingratis, ingratave munera terris,
(Munera ab ignoto ne non ſint tuta timemus)
Deſcripſit primùm Diuinis nomina factis,
Propitium populis Numen, demiſſaque Olympo,
Terrigenas docuit ſecurè carpere dona.
Cæleſtes animæ cæleſtia nomina cælo,
Et ſanctis partos labris traxêre ſuſurros,
Inter verſantes auriûm cunabula, vt aurum.

Inflexuſque æther verbis arriſit amicis :
Reliquiaſque ſoni labentis ſuſtulit aura,
Lambitque. In plauſus faciles iuêre volucres;
Obtulerunt cygni titulos formando miniſtras
Certatim pennas. Magni quoque nominis Echo
Tartara pertonuit, veluti cum nubibus æther
Collifis fremit horrendùm, molem inque globoſam
Voluitur; Eumenides, conſternatæque ruentes
Exangues cœcos vmbræ petiêre receſſus,
Territum vbi ignotum lumen peruaſit Auernum.
Terra quid Enoſſo, quæ tandem præmia cælum?
Quod dedit, accepit. Deus hoc eſt indice notus,
Et prius incultis ſonuerunt Numina terris:
Numinis inſtar erit. Cultum fundauit, & aras,
Impoſituſque aris, ſuperûm celebrabitur oris.

CAINAM,

CAINAM,

Enoſsi filius.

MALALEËL,

Cainami filius.

OPPOSITA.

CErta quidem eſt horum, tamen eſt incognita virtus.
Non ſunt ignoti virtuti. Diſpare par eſt
Relligio hæredum cum nomine, párque Parenti,
Officijs natus diſpar imitando parentat.
Triſte melos, threnóſque pios, lamentáque Caïnam,
Pſalmodiamque ſonat, lætóſque Malaleël hymnos.
Poſcebat ſæclum lacrymas, fletuſque malignum,
Poſcebat ſæclum cantus, hymnóſque benignum.
Progenies renouat damnatum praua Cainum,
Poſteritas recreat iuſtum, pia germina, Abelum,
Et virtus, vitiúmque pari molimine certant,
Impia cum ſacris, & pugnant ſacra profanis:
Inde ruunt, fana inde ſtruunt, nec legibus iſdem
Aduerſam in partem diuerſus ſcinditur ardor.
Nullus homo tunc orbe fuit; ſin Angelus eſſet,
Bellua erat, vel haris omnis, vel dignior aris.
Vſque adeò mortale genus ſeu Numinis iram,
Seu pacem meritum, miſcebat gaudia luctu.

Partita officium pietas; geminóſque ſacrauit,
Qui Diuis, Myſtæ, fletu, cantúque litarent.
Græcia Democritum, tua monſtra, iſte Heraclitum;
Sufficit Autographo melius par promere Diuûm.
Plangendo Caïnam, lætum pangendo Malaleël.
Sæcla nouem exegêre, animámque is lumine flentem,
Faucibus hic egit; primúſque efleuit, & alter
Efflauit. Nato vixit Caïnama ſuperſtes:
Occupat extremus nimirum gaudia luctus.
Caïnamo genitum ſed ne mirere Malaleêl:
Certa etenim proles lacrymarum eſt vera voluptas.

JARED,

IARED.

Malaleëlis filius.

EXPOSTVLATIO.

FAma, quid hîc ſiſtis. totidem quot prædita linguis,
Tot pernix pennis? Jaredum deſide ſtringis
Et pennâ, & linguâ; nec prolem præter, & annos,
Quicquam commemoras? factis, non viuimus annis.
Ætatem obſeruas, & prodis, facta reſeruas,
Et perdis. Forſan repetito vt funere damnes?
Aut patri geminus naſci dicetur Enochus?
Aut vires hic fortè tuas ſuperauit Iäred?
Fallor: magnum etenim ſunt thema ſilentia laudum;
Nec Jared latitat, genuiſſe refertur Enochum.
Hoc vnum ſatis eſt: patrem, velut vngue leonem,
Innuit, & magnum ſimulat ſtirps magna parentem.
Non equidem poterat, niſi dignâ ab origine naſci,
Qui genus, & proauos, patrémque referret Iäred.
Quàm magnum hoc fuerit, docuit mora, quippe parentis,
Atque ataui poterat bis dici nomine felix.
Miraris puerum genio, ingenióque ſenilem?
Tunc maturus erat: Nemo cùm ſeriùs illo
Cœperit eſſe pater, nemo diuturnius vmquam
Prolem habiturus erat genitor quicumque futurus.
Bis quinis annis vterum, fœtúſque biluſtres,
Difficilem geſtant matres pariturae elephantum;
Non ſemper feſtina, etiam feſtiua fuerunt;
Quin celeres iterum partus citò fata repoſcunt,
Vt ſibi præreptos. Et cælum ſæcla nouena

B 3 Mori-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Moribus adiecit ſobolem formando paternis.
Mortalis primùm datus eſt puer editus Aris,
Acceptúmque tulit cœlum cum fœnore munus:
Morte manu-miſſus, longúmque perennis in æuum,
Sacrificamque animam, pulchro cum corpore, ſtellis
Inſeret. O magnum magni Genitoris alumnum!
Magnum prole Patrem! Cælum prouidit vtrique,
Nec pater orbus eris, nec erit te filius orbus.
Tu nato, *ille* tibi, viuetis vtérque, ſuperſtes.

ENOCH.

ENOCH,

Iaredi filius.

CENOTAPHIVM.

EX auro vacuum faber hîc molire ſepulchrum,
Contentumque hominem viuaci emblemate cela.
Infantem cunis poſitum ne finge; ſed Aris.
Septimus ex Adam, Deus hoc requieſcere poſcit.
Raptandus cælo, primùm ſeſe eripit orbi.
Auratis pulchram maciem ſqualloribus apta,
Argento lacrymas imitante, vt, *pœnitet*, olim
Ignotum monſtret potius, quàm ſuadeat orbi.
Digreſſus filiis, doceat vitare Caïnos
Vindictam, lacrymiſque ſcelus delere, quod vltrix
Tempeſtas mergat, vel miſſus diluat imber.
Heu curuæ in terras animæ; & cæleſtium inanes!
Infidos monet, haud mouet, & qui flenda gemiſcit,
Ridetur vates: cum tardam deſpicit iram
In facinus pręceps, lentéque grauiſſima ferri
Mens hominum ignara. Ad Sethos dimiſſus iniquos,
In Diuos vertit. Ioue raptum ſculpe: ſed æther,
Aut aër ſeruet, dubites. Alibi, ac ibi ſculpe,
Ridet vbi mortem, iactum extrà & ſpicula mortis.
Egreſſus viuis modò, defunctiſque ſuperſtes:
Ille ſibi Phœnix ſenium iuuenile repoſcet.
An, quid agat, dubitas? toti ſpectacula mundo,
Exhibet, intereà ſpectator totius orbis.
In Pſeudo-Chriſtum pro Chriſto ſtare paratus.
Bellabit, contraque hominem feret arma rebellem,
Atque peremptorem perimet, licet ipſe peremptus.
Fige breuem tumulo titulum, dum ſculpſeris iſta:
Non hîc Enochius jacet; at ſi quando iacebit,
(Ante fleas, hic quàm iaceat) tunc cuncta iacebunt.

MATHVSALES.

Enoci filius.

LAMECH.

Mathuſalæ filius.

EVCHARISTICON.

FElices animæ, queîs ſidera noſcere primis,
Conatuſque fuit ſuperas conſcendere ſedes,
Aſtráque in obtutus diſtantia ferre propinquos,
Altúmque illuſtri captiuare æthera mente.
Mathuſali genus humanum, plaudátque Lamecho,
Pláudant aſtra, quibus dominantur cognita terris.
Ignitam, ignotámque facem cùm ſidera mundo,
Cùm veherent fruſtrà, propiùs, cæalóque vócatam
Lucem explorare, effectis diſcernere cauſas;
Nempè ſolum impleuêre polo, cæleſtibus orbem,
Sideribus lumen dederunt. Clariſſimus ille
Æthre vagabatur populus, vix cognitus æthre.
Alma videbatur lux affectare tenebras,
Noctiúaque hoc vno & gaudere tenebrio viſu.
Ignotum, tempeſtates quo ſidere motæ,
Ignotum; quo compoſitus, quo innubilus aër:
Deliquia angebant tremulæ terrentia Lunæ,

Horren-

Horrentémque comis, cùm plebs ignara Cometen,
Aut Phœbi inceſto ſpectaret lumine Phœben,
Inuadente iterùm Phœbum intercludier orbe:
Nouerat hæc nullus cælo indignante moueri.
Naturam confundebant, & ſigna Deorum.
Fax immortalis luce indiſtincta caducâ
Conſpecta eſt temerè, mediaſtinóſque vapores
Primitijs ſtellis antè vltimus ordo ferebat,
Patricios quaſi ſtellarum, infimus ordo locabat.
Quin fixo ſtatuêre errantia ſidera cælo.
Nilque perenne Polus, ſed habebat cuncta per annos.
Occiduo aſtra die nata; & naſcente peribant,
Sol, velut Oceano exturbatus, ab axe ruebat.
Nîl nôrant triſtes Hyadas, imbréſque, niuéſque,
Conſultans vanos, turba inconſulta, planetas.
Sic toto errabant cælo. Callem ergo Lamechus,
Mathuſaléſque facit. Nec figere ſedibus iſtis
Ferrea mens hominum poterat veſtigia: Diuûm
Vix vbi cæleſtes poterant cognôſſe penates.
Impermiſſum rimantur penetrale profanis,
Inque altum librant certantia lumina Phœbo;
Ingenijque faces, face colluſtrante, prehendunt:
Humaníſque oculis oculi patuêre polorum.
Muta loqui Superûm cœperunt ſidera mentem:
Vnde ſuos varient repetitis curſibus axes,
Aut modò quod recto, aut obliquo tramite currant,
Scintillentque polo, radient modò debile lumen.
Sidera nata dein, mundo cùm nota fuerunt.
Et ſenuit, ſapuitque orbis. Cælúmque benignum
Spreuêre ignaui, aſt iratum noſſe laborant,
Vt ſua damna fleant. Pereunti denique mundo
Vranie nata eſt, facilique electa præiuit
Obſequio è merſis migrantia ſæcula terris.
Vos Diuûm Par interpres, ſed ſolibus antè

Diluuium paucis, rapuit non immemor æther,
Perſugio tempeſtiuo. Sed enim aſtra nocere
Non poterant, cœlo vixiſſent donec amici.
Mathuſales meritis cunctos ſuperauit, & annis;
Viuere perpetuò dignus, niſi ſidera mallet,
Quæ coniectârat quondam, ſpectare propinquus.
Relliquias vtriuſque, Noë nauclere, tuliſti
Nauigio tutas, ſacra queîs pixis in vrna,
Oſſa gubernâclum facerent, cinereſque ſaburram.
Verſibus Vranie plaudat, Muſæque parentent,
Muſarum, & cantûs, lętique parentibus hymni.
Vos hominum linguæ tollant cælo altiùs ipſo,
Qui tot cælum oculis hominum, terręque tuliſtis.

Digitized by Google



E. Quellinus delineavit. Richard Collin sculpsit.

Digitized by Google

Noë Lamechi filius.

|

Linea Chriſti.

Cham.		Sem.	Iapheth.
		Arphaxad.	
Nembroth.		Salem.	
		Heber.	
		Phaleg.	
		Reu.	
		Sarug.	
		Nachor.	
		Thares.	
Loth.	Iſmahel	Abraham.	Lothi vxor.
		Iſaac.	
		Iacob.	Eſau.
			Dina.

TRIBVNI DVODECIM.

Partita officium pietas; geminóſque ſacrauit,
Qui Diuis, Myſtæ, fletu, cantúque litarent.
Græcia Democritum, tua monſtra, ſile Heraclitum;
Sufficit Autographo melius par promere Diuûm.
Plangendo Caïnam, lætum pangendo Malaleël.
Sæcla nouem exegêre, animámque is lumine flentem,
Faucibus hic egit; primúſque effleuit, & alter
Efflauit. Nato vixit Caïnama ſuperſtes:
Occupat extremus nimirum gaudia luctus.
Caïnamo genitum ſed ne mirere Malaleël:
Certa etenim proles lacrymarum eſt vera voluptas.

IARED,

Malaleëlis filius.

EXPOSTVLATIO.

FAma, quid hîc ſiſtis. totidem quot prædita linguis,
Tot pernix pennis? Jaredum deſide ſtringis
Et pennâ, & linguâ; nec prolem præter, & annos,
Quicquam commemoras? factis, non viuimus annis.
Ætatem obſeruas, & prodis, facta reſeruas,
Et perdis. Forſan repetito vt funere damnes?
Aut patri geminus naſci dicetur Enochus?
Aut vires hic fortè tuas ſuperauit Iäred?
Fallor: magnum etenim ſunt thema ſilentia laudum;
Nec Jared latitat, genuiſſe refertur Enochum.
Hoc vnum ſatis eſt: patrem, velut vngue leonem,
Innuit, & magnum ſimulat ſtirps magna parentem.
Non equidem poterat, niſi dignâ ab origine naſci,
Qui genus, & proauos, patrémque referret Iäred.
Quàm magnum hoc fuerit, docuit mora, quippe parentis,
Atque ataui poterat bis dici nomine felix.
Miraris puerum genio, ingenióque ſenilem?
Tunc maturus erat: Nemo cùm ſeriùs illo
Cœperit eſſe pater, nemo diuturnius vnquam
Prolem habiturus erat genitor quicumque futurus.
Bis quinis annis vterum, fœtúſque biluſtres,
Difficilem geſtant matres pituræ elephantum;
Non ſemper feſtina, etiam feſtiua fuerunt;
Quin celeres iterum partus citò fata repoſcunt,
Vt ſibi præreptos. Et cælum ſæcla nouena

 Mori-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Moribus adiecit ſobolem formando paternis.
Mortalis primùm datus eſt puer editus Aris,
Acceptúmque tulit cœlum cum fœnore munus:
Morte manu-miſſus, longúmque perennis in æuum,
Sacrificamque animam, pulchro cum corpore, ſtellis
Inſeret. O magnum magni Genitoris alumnum!
Magnum prole Patrem! Cælum prouidit vtrique,
Nec pater orbus eris, nec erit te filius orbus.
Tu nato, *ille* tibi, viuetis vtérque, ſuperſtes.

ENOCH,

Iaredi filius.

CENOTAPHIVM.

EX auro vacuum faber hîc molire ſepulchrum,
Cœlicolamque hominem viuaci emblemate cela.
Infantem cunis poſitum ne finge, ſed Aris.
Septimus ex Adam, Deus hoc requieſcere poſcit.
Raptandus cælo, primùm ſeſe eripit orbi.
Auratis pulchram maciem ſqualloribus apta,
Argento lacrymas imitante, vt, *pœnitet*, olim
Ignotum monſtret potius, quàm ſuadeat orbi.
Digreſſus filiis, doceat vitare Caïnos
Vindictam, lacrymiſque ſcelus delere, quod vltrix
Tempeſtas mergat, vel miſſus diluat imber.
Heu curuæ in terras animæ; & cæleſtium inanes!
Infidos monet, haud mouet, & qui flenda gemiſcit,
Ridetur vates: cum tardam deſpicit iram
In facinus præceps, lentéque grauiſſima ferri
Mens hominum ignara. Ad Sethos dimiſſus iniquos,
In Diuos vertit. Ioue raptum ſculpe: ſed æther,
Aut aër ſeruet, dubites. Alibi, ac ibi ſculpe,
Ridet vbi mortem, iactum extrà & ſpicula mortis.
Egreſſus viuis modò, defunctíſque ſuperſtes:
Ille ſibi Phœnix ſenium iuuenile repoſcet.
An, quid agat; dubitas? toti ſpectacula mundo,
Exhibet, intereà ſpectator totius orbis.
In Pſeudo-Chriſtum pro Chriſto ſtare paratus.
Bellabit, contraque hominem feret arma rebellem,
Atque peremptorem perimet, licet ipſe peremptus.
Fige breuem tumulo titulum, dum ſculpſeris iſta:
Non hîc Enochus jacet; at ſi quando iacebit,
(Ante fleas, hîc quàm iaceat) tunc cuncta iacebunt.

 MATHV-

MATHVSALES,

Enoci filius.

LAMECH.

Mathuſalæ filius.

EVCHARISTICON.

FElices animæ, queîs ſidera noſcere primis,
Conatuſque fuit ſuperas conſcendere ſedes,
Aſtráque in obtutus diſtantia ferre propinquos,
Altúmque illuſtri captiuare æthera mente.
Mathuſali genus humanum, plaudátque Lamecho,
Plaudant aſtra, quibus dominantur cognita terris.
Ignitam, ignotámque facem cùm ſidera mundo,
Cùm veherent fruſtrà, propiùs, cæelóque vocatam
Lucem explorare, effectis diſcernere cauſas;
Nempè ſolum impleuère polo, cæleſtibus orbem,
Sideribus lumen dederunt. Clariſſimus ille
Æthre vagabatur populus, vix cognitus æthre.
Alma videbatur lux affectare tenebras,
Noctuáque hoc vno & gaudere tenebrio viſu.
Ignotum, tempeſtates quo ſidere motæ,
Ignotum; quo compoſitus, quo innubilus aër:
Deliquia angebant tremulæ terrentia Lunæ,

Horren-

Horrentémque comis, cùm plebs ignara Cometen,
Aut Phœbi inceſto ſpectaret lumine Phœben,
Inuadente iterùm Phœbum intercludier orbe:
Nouerat hæc nullus cælo indignante moueri.
Naturam confundebant, & ſigna Deorum.
Fax immortalis luce indiſtincta caducâ
Conſpecta eſt temerè, mediaſtinóſque vapores
Primitijs ſtellis antè vltimus ordo ferebat,
Patricios quaſi ſtellarum, infimus ordo locabat.
Quin fixo ſtatuêre errantia ſidera cælo.
Nilque perenne Polus, ſed habebat cuncta per annos,
Occiduo aſtra die nata; & naſcente peribant,
Sol, velut Oceano exturbatus, ab axe ruebat.
Nil nôrant triſtes Hyadas, imbréſque, niuéſque,
Conſultans vanos, turba inconſulta, planetas.
Sic toto errabant cælo. Callem ergo Lamechus,
Mathuſaléſque facit. Nec figere ſedibus iſtis
Ferrea mens hominum poterat veſtigia: Diuûm
Vix vbi cæleſtes poterant cognôſſe penates.
Impermiſſum rimantur penetrale profanis,
Inque altum librant certantia lumina Phœbo;
Ingenijque faces, face colluſtrante, prehendunt:
Humaníſque oculis oculi patuêre polorum.
Muta loqui Superûm cœperunt ſidera mentem:
Vnde ſuos varient repetitis curſibus axes,
Aut modò quod recto, aut obliquo tramite currant,
Scintillentque polo, radient modò debile lumen.
Sidera nata dein, mundo cùm nota fuerunt.
Et ſenuit, ſapuitque orbis. Cælúmque benignum
Spreuêre ignaui, aſt iratum noſſe laborant,
Vt ſua damna fleant. Pereunti denique mundo
Vranie nata eſt, facilíque electa præiuit
Obſequio è merſis migrantia ſæcula terris.
Vos Diuûm Par interpres, ſed ſolibus antè

Diluuium paucis, rapuit non immemor æther,
Perfugio tempeſtiuo. Sed enim aſtra nocere
Non poterant, cœlo vixiſſent donec amici.
Mathuſales meritis cunctos ſuperauit, & annis;
Viuere perpetuò dignus, niſi ſidera mallet,
Quæ coniectârat quondam, ſpectare propinquus.
Relliquias vtriuſque, Noë nauclere, tuliſti
Nauigio tutas, ſacra queîs pixis in vrna,
Oſſa gubernâclum facerent, cinereſque ſaburram.
Verſibus Vranie plaudat, Muſæque parentent,
Muſarum, & cantûs, lętique parentibus hymni.
Vos hominum linguæ tollant cælo altiùs ipſo,
Qui tot cælum oculis hominum, terręque tuliſtis.

Digitized by Google



E. Quellinus delineavit. *Richard Collin sculpsit.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Noë Lamechi filius.

|

Linea Chriſti.

Cham.	Sem.	Iapheth.
	Arphaxad.	
Nembroth.	Salem.	
	Heber.	
	Phaleg.	
	Reu.	
	Sarug.	
	Nachor.	
	Thares.	

Loth.	Iſmahel	Abraham.	Lothi vxor.
		Iſaac.	
		Iacob.	Eſau.
			Dina.

TRIBVNI DVODECIM.

NOE,

Digitized by Google

NOE,

Lamechi filius.

ANATHEMA.

QVod ſpectas tignis lignum pendere, viator,
Lignum, venturæ prima argumenta ſalutis,
Inuictæ nauis fruſtum eſt; nec remige velox,
Nec velo, cunctos renouandum vexit in orbem.
Cum moréſque boni prauis ſub amoribus acti,
Et mundi ætatem vitij ſuperauerat ætas,
Atque in adulterium ruerat vix orbis adultus:
Forma pudicitiæ contraria, & eſſe pudicum
Turpe fuit: nec opus delectâ mittere dextrâ
Fulmina, at in meritum ſcelus vndiq; & vndique noxas.
Vel largis ſupereſt lacrymis flectatur Olympus,
Inflexus miſſo vel mox deſæuiat imbre.
Denſato cælum cœno abdita terra vocabat;
Nec niſi diluuij poterat purgarier vndis.
Corrupto ſæclo Noës eſt integer vnus,
Vindictæ præco; ſed fruſtra auditus, iniquos
Territat, & certum rident deliria vatem,
Supplicio ſupplex ſero gens ſerò futura.
Ergo obduratos linquit, propriæque ſaluti
Ædificat magnam, ſic Dî voluêre, carinam.
Obſidium vndarum non eluctabile, ligno
Eluctari auſus fragili, maria omnia rumpit,
Arcem molitus maiorem fluctibus arcam.
Cum natíſque ſubit, nuribúſque, & coniuge puppim
Nauta nouus, gnauúſque, nouúmque per æquora fertur.

Quæ

Quæ rerum facies! quæ tempora! totus ab vnâ
Mundus, tota ſalus pendet trabe. Bruta, feræque
Sorbentur, ſorbetur homo brutalis ab vndis.
Soluuntur nubes, immenſa licentia Ponti
Intumet, & preſſæ ſubiguntur gurgite turres,
Conduntur nigris montana cacumina nimbis;
Omnia pontus habet, nec ſunt in margine ripæ,
Et ducunt remos trepidi, quâ nuper arabant,
Si quos præterijt fulmen, nunc flumina voluunt
Ditis, mancipia vt plectat, mare vertitur omne,
Et ruit indignans, vt terras obruat, æther;
Cum gregibus populi pereunt, cúmque vrbibus orbis:
Impete turba nocens, lapſo æthere; nauigat orcum.
Cum ſæclum renuit, flet cælum. Ac ne quid inultum
Reſtet, aquas ſua pœna manet; confunditur æquor
Diluuio, extenſo nec ſunt ſua nomina ponto.
Si ſpectatores, ſpectâclum quale! fuiſſent.
Vna hæc indomitos ſuperauit machina fluctus,
Vna domus domuit. Sola hæc commune carina
Naufragium luſit, fundóque illuſit hianti.
Vna ſalus fuit iſta ſalo; dum rurſus ab imis
Fluctibus emerſit, quæ merſerat omnia, tellus,
Et reſpirauit iugulato crimine mundus;
Pinguatámque oleam nigris ſuper extulit vndis,
Symbola placati dans ales Numinis omen.
Diuini Noë ſigni iuſtiſſimus auſpex,
E Ponto in portum, ex arcâ deſcendit in aram,
Myſta ſacer, ſuperis vt pendat victima naulum,
Relliquias arcæ, templíſque anathema ſacrauit.
Vltimus ætatis primæ, primúſque ſecundæ,
Verus Deucalion. Virtus non mergitur vndis;
Inuenit at medio portum inuictiſſima ponto.

CHAM,

CHAM,

Noë filius.

DIRÆ.

CVm tumulo Manes hìnc execrare, viator.
Mancipium nauale Chamus, cui prouida fata
Turpi adiecerunt calidum pro ſtigmate nomen,
Ardorem vt Chamus impurum, inceſtumque furorem
Exprobret, hìc ſitus eſt. Dignus conuiua ferarum,
Indignus tutante arcâ; quo nulla natanti
Bellua fœda magis ſtabulo eſt ſeruata ſalutis.
Subſtratas nec enim eſt extincta libido per vndas;
Ille ſalóque ſalax, ſacrâque ſolutus in arcâ,
Et venerem ſpumanti exercuit æquore natam,
Atque inhonorantem laſciuo oneraria vexit
Puppis concubitu, obſtaret niſi patria virtus,
Mergendum fundo. Ecce vt aquis impurior exit;
Sub torculari primos ſpumante racemos
Condiderat Noë, longarum tædia aquarum
Vt vina abluerent, inſuetum indoctus Iäcchum
Lymphantem lymphis mulcere: incognita virtus
Irrepſit, ſenſimque animos ſopiuit, & altum
Qui ſuprà Oceanum, vaſtiſque emerſerat vndis,
Naufragium calices tulerunt; nudatus & impos,
Deiectúſque ſenex iacuit, vinóque ſepultus.
Sit nudâſſe parùm: ſed proditor ille pudoris,
Ille Chamus vidit, vidit, fratréſque vocauit,
Ludibrium patris, Baccho damnoſior ipſo;
Ille Patrem ſpoliauit, hic oſtentare iacentem

C Geſtijt,

Geſtijt; authori nimirum ingratus vterque.
Te furiæ puer! ablutæ noua germina noxæ.
Vah crimen patris! quæ te genuêre, parentis
Irrides meritò, te turpi turpia nato.
O oculis vtinam obſcœnus, linguâve ſit orbus
Præco, & ſpectator, nec tam celanda reuelet,
Degeneránſque ſuum diffamet dedecus ortum.
At quem neglêxti reuereri, diſce vereri,
Impactóque Patris pœnas anathemate pende.
Et gignes ſtolidos, & erunt nudanda nepotes
Poſteritas: Aſſur regno ſpoliatus, & exul
Inde Palæſtinus, quam rides, fabula fient.
Quin etiam Æthiopes furuo tibi ſemine nati,
Ardoris fumos, flammáſque colore notabunt,
Viuéntque in terris ſimiles, cum Tartara viſes.
Nec mentem ſatiant veſanam arcana Parentis;
Et magicas artes primus ſcrutatur, & orcum
Orbi infert, Stygiáſque ſubit legandus in oras.
Vt pereat flammis, fruſtra ſeruatus ab vndis.
Diluuium illuuiem totam non abſtulit vnum.
Ter ſi mergatur, fors ſurget iniquior alter,
Et ſi non lymphis, vitijs lymphabitur orbis.
Praua diu creuit, ſemper ſibi conſtitit ætas:
Donec erunt homines, vitium dominabitur vſque.
Hoc diſce exemplo, mala tempora ferre, viator.

NEM-

NEMBROTH,

Chami Nepos.

GIGANTOMACHIA.

ASpicis ingentem, imperfecto culmine, turrim;
Confuſam molem? propiùs ſpecta, erue fundum.
Nembrotho debent artes monumenta nefandæ;
Néve malum nomen victum meliore periret
Virtute, àttonitum ſublimi machina ſolem
Vertice percellit, ſupráque excelſior orbem,
Quantùm damnatus faber eſt depreſſior orco.
Inter inhumanos immanis, corporis olim,
Et pariter ſcelerum terram ſub mole fatigans,
Vtque animum caperent exlegem, membra ſtatutam
Legem exceſſerunt: animis ſed & impos & impar,
Cùm poſſet nimiùm, tentauit an omnia poſſet.
Virtutem violat violentia. Torſit iniquus
Aſſyriòs, inhians quêis ſceptra extorſerat olim.
Impius amiſſum imperium, faſceſque prehendit.
Cùm viciſſe parum eſt homines, altum æthra laceſſens;
Et cœlo inuiſus, diuinum inuaſit honorem,
Idolum factus. Jamque illi conditur ara,
Dudum mactando, ſi victima mundior eſſet.
Bêelſebub, & Belus, magnus deîn Jupiter audit,
Mentitumque Jouem fingit, mendacior ipſe.
Ambitio, creſcitque pari laſciuia greſſu.
Sic imitatur auum. Partique potentia regni
Thura adolere jubet circùm aras vulgus adulans,
Inter aromata, olet turpem fœdiſſimus hircum.

 Atque

Atque graui, vt maneat leve nomen, marmore firmat;
Et durum tentat lapidem, faciémque ſubire,
Effigiémque hominis cogit: ſaxúmque reluctans
Admiſit ſcalprum. Dubitans natura ſtupebat,
An foret ipſe icon, eſſétne exemplar imago.
Quem ſibi durities lapidum conſtrinxerat olim,
Prototypo inueniens, fictámque in marmore vitam.
Non fœcunda ſatis, ſi crimina nata periſſent.
Vt lateres fiant, terram coquit igne coactam,
Surgítque, & fundo ſterili culmum inſerit aſtris,
Diluuijque metum, & metam mundi ſuper, intrà
Sidera ſideribus compar facit alta trophæum,
Atque gigas turres inter, turríſque gigantûm,
Machina grandeſcit, ſimiliſque authoribus exit.
Quò non impietas? Oſtendit nomina ſoli,
Quæ condenda ſolo fuerant. Peccâſſe puderet,
Si non in cœlo peccet, ſuperóſque laceſſat.
Culmine ſtans ſummo Nembroth, vibrata minatur
Fulmina fulminibus ceruice retundere miſſis.
Artis conſilium inſanæ! quem Lympha fugabat,
Lymphatus propiùs cæli ignibus admouet ædem,
Incidit in fulmen, cupiens euadere flumen,
Quamque fugit, vindictæ occurrit, mole patente,
Certius exitium molitus. Et obſtitit auſis
Æther, confuſoque ſonantes murmure linguæ
Commiſſum planxêre nefas. Fit fabula ſurdo,
Qui loquitur, diſſenſiſſe eſt à Numine tantum.
Quæ ſpectas, pendent opera imperfecta, minæque:
Mole ruente infami, infamia perſtitit orbe.
Non opus hoc ſolidum, ſtolidum quia fecerat author,
Nominis eſt vani fulcrum, nunc nomen inane.

SEM

SEM & IAPHETH,

Noë filij.

STATVÆ.

Diuine hîc Phidia, fratrum par nobile finge,
Quale Argos nequeat, magnæque oſtendere Athenæ:
Purpureus rubor ora notet, ſit fronte modeſtus
Ingenuâ cultus, faſtuque decora remoto,
Et gravis, & lenis majeſtas vertice ſpiret.
Palliolum collectum humeris dextrâ alter, & ille
Suſtineat lævâ, nudique in membra Parentis
Vultibus obuertant auerſis. Ludat eodem,
Idemque, & geminus cælato in marmore candor.
Et lapidis facies mentem, arcanumque pudorem
Indicet; vnanimeſque inter ſit gratia fratres,
Materiæ nexus concors, ſignentque ſtuporem
Marmorei vultus; rigidoque in pectore robur.
Inſuper adijcies majori grammate lemma:
Sem, Japhethque, almi fratres, famæque paternæ
Tutores; nudus ſomno dum membra ſolutus
Vapulat inceſtis oculis, obuoluere amictu,
Impurumque Chamum viſu prohibere nefando.
Jam ſublata noui eſt damnoſa infamia ſæcli,
Obſcœnus perijt deriſor. Perque nepotes
Ibit patrum animus, per quos delenda, Chamitæ,
Poſteritas vitiata, luent, ducetque triumphos,
Quem ſpectas, geminus tranſcripti criminis vltor,
Præmia virtuti ſua ſunt; fit purpura regum,
Quæ fuit antè abjecta chlamis. Quot germina gignent,

Regnabunt totidem, totum fœcunda per orbem
Maieſtas ſurget. Romanos alter, Hebræos
Ille reget, magni veluti duo lumina mundi.
Vtraque Patrono ſeruanda Eccleſia tanto.
Hic ſeruatorem gignet, ſed ſupplice ritu
Ille colet. Dubites, gignendo vter, annè colendo
Profuerit mage. Seruatorem obſeruat vterque,
Ille vtrumque habitat. Velatâ carne recinctus
Iſthâc prodibit. Tanti eſt velâſſe parentem.
Gratus, in exemplum eſt pietatis, Imagine mundus.

ARPHAXAD,

Semi filius.

SALEM,

Arphaxadi filius.

HEBER,

Salemi filius.

PHALEG,

Heberi filius.

REV,

Phalegi filius.

SARVG,

Reui filius.

NACHOR,

Sarugi filius.

THARE,

Nachoris filius.

CATALOGVS.

SExcenti ſanctum ſoles quodcumque dederunt,
Hîc lege. Damnauit reliquos obliuio Soles.

 Debite-

Debuerant ſero ſeruari germina ſæclo,
Quæ ſeruatorem renouato denique mundo
Proferrent. Sed ſolus honos eſt ſtirpis auitæ
Conſeruâſſe decus. Melioris germina mundi,
Producit pulchros tellus innoxia ſûrclos.
Arphaxadum, Salemon, Hebrúmque videres,
Vt metam, montes habitaſſe, & collibus altis,
Inſontes velutì placidùm luſiſſe capellas.
Inuaſor nullus, nullus qui exterminet hoſtis,
Aut aliena petat, patrium cunabula litus,
Et tutam ætatem viuunt, creſcunt vbì nati,
Denaſcuntur vbì creuerunt, ſtirpibus inque
Frugiferis ingens imitantur ſtemma ſtolones.
Corpora formarunt animis maiorà Chamitis;
Nec mirum, citò namque adoleſcunt peſſima quæque;
Imperijque fames, ſpatiúmque proinde neceſſum,
Auctum eſt; mutatum mediâ ius, vis fuit, orti
Legiſlatores, mox ipſa vbi mortua lex eſt;
Iuſtitiâque procùl legatâ, iura leguntur.
Occidere & pulchrum, pulchrumque occidere viſum:
Armatæ leges inter ſæua arma ſilebunt.
Natáque militia eſt, moriendi ars. Crimina nectunt,
Criminibus. Quin iam noxæ fiducia tanta eſt,
Vt vi, quam meritis cælum impugnare laborent,
Et malint adoriri, quam ſi Numen adorent.
Flagitijs tantus furor, vt ſit gloria factis.
Obſtitit indignans cœptis audacibus æther,
Commento inſigni, patriúmque idioma nouauit
Ignotam in linguam, mulctans mutando ſceleſtos.
Si diſſcindatur Reſpublica iniqua, ſoluta eſt.
Supplicium nocuit damnatis, profuit orbi.
Quippe vbì gens capta eſt linguis ſcelerata, repentè
Inter tot linguas elinguis; inhoſpita tellus
Sollicitata dat hoſpitium, tamen antè negatum,

Quiſ-

Quiſque ſuum colit exilium, ignotóſque penates.
Tunc morti naues compactæ, mobile pondus,
Ereptíque feris ſaltus, atque æquora monſtris.
Vna ex Chaldæâ traducta colonia totum
Orbem animat, patribus peregrinum. Solus Heberus,
Hebræûmque pater, patriam, linguámque, ſolúmque
Seruauit ſacri penetrali in pectoris, oris
Diuini vt referat natali oracula voce.
Diuiſas linguas Phaleg prognatus Hebero
Nomine ſignificat, Reuus, Sarugque ſequuntur,
Poſtque Nachor Thare. Meritorum encomia Moſes,
Et laudes ſiluit, magni ne laudibus Abræ
Obſtreperent. Sileo reliquos; pangatur Abramus.

ABRAHAM,

Thares filius.

NARRATIO.

SIſte hîc, Abrami narro dum geſta, viator,
Hoc Chaldæa tulit fidus, natum æthre putares.
Cultores aſtrorum inter, cùm ſperneret aſtra,
Aſtrorum authorem coleret, patriumque negaret
Aëra adorare, inuiſus, profugúſque per orbem
Ignotum graditur, famé at hic ne forté periret,
Fama feré extincta eſt. Vxoris forma perîclum,
Et damnum fuerat, ſi non induſtria ſolers
Vertiſſet. Præſtans adeò mala ſarcina forma.
Ergo redux iterum fugiens, diffugerat vndè,
In Chanaan aram ſtatuit, arrhamque ſalutis.
Ex Aran ſecum ducit Loth fratre nepotem,
Diuitijs quîcum jungit commercia mixtis.
Creſcit amor nummis, ſocialia fœdera partis
Decreſcunt nummis. Famulos cum prædia ſpargunt,
Et famuli rixas. Geminos ægrè vnus habebat
Fundus heros, vix affines confinia paſſi.
Partiri malunt terras, quàm ſcindere corda.
Sic inconſtanti fortunâ humana rotantur.
Cùm ſocias, auges, ſi quando diuidis aucta,
Imminuis; rursùs poſt te diuiſa peribunt.
Pentapolim Reges populantur quatuor, indè
Abducunt Lothum; tutor niſi patruus arma
Ocyus aduerſum moueat, ſub ſigna coactis
Ter centum vernis: quotus hoſtis, & hoſtia cœlo
Concidit. Hic ter centum auſis conferre Lacones?

Vnam

Vnam aciem jactes, quam turba irrupta repreſſit?
Hæc meliùs trinis ſuperadijcit vna triumphis.
Tam facilè expugnant, qui vindice numine pugnant.
Sic inter felix mortales floruit olim,
Sed mortalis Abram, tantique herede carebant
Succeſſus. Abramus erat, nec Abramus, inanis
Nominis illecebræ; pater, at ſine prole, vocatus.
Vt roget ipſe aliquid, non erogat omnia cælum.
Tandem, ſerò licet, ſuſcepit vota rogantis:
Ancillâ nato patrem Iſmahele beauit.
Nec ſatis, inuidiam Dominæ fœcunda mouebat
Ancilla, & vacui tam dura injuria ventris
Torſerat vxorem; fortuna hæc libero egebat,
Pluſquam liberto. Rurſuſque precantis Abrami
Ad votum, ſterili de conjuge prodit Iſaâcus,
Natura vt contenta nihil deſideret vltrà,
Et nil contentus naturæ debeat Abram.
Quàm carò pignus charum emit! quippe ſenectæ
Difficilis partum, ſtirpis ſpem, vnumque leuamen,
Crudeli pater ipſe manu jugulare jubetur,
Hæccine ſpes meſſis, primum ſuccidere gramen?
Tantaque poſteritas truncato ſtemmate ſurget?
Hæccine ſpes, promiſſa Dei, ſolatia cæli,
In luctuſque nouos genuiſſe, & funera prolem?
Hoſtia ſacrari debebat ſcilicet aris,
Quæ mundi cælum incarnandum ſiſteret oris,
Diuinâ ſuperatus amor pietate paternus,
Ante aras tremulis pertentat colla lacertis,
Decuſſiſſe parat; lucroſo nempe periclo:
Pro ſobole oblatâ, quot cœlo ſidera lucent,
Tot cælo fœtus, promiſſaque germina terris
Fœcundus dabit, & mutato Abrahamus Abramo,
Inclytus euadet genituris gentibus author.
Quantus erat! Juſtos gremio complectitur omnes.

ISMAHEL.

ISMAHEL,

Abrahami filius.

ALLEGORIA.

CRedere deſierat fieri ſe poſſe parentem
Sara vxor ſterilis; ſobolemque videre mariti,
Quam nullam, cupiens, ancillam induxerat Agar,
Fruſtrato vt prolem thalamo, heredemque crearet:
Quod nimiùm viſa eſt vtero turgente ſuperba,
Sarcinaque inſanum capiti affricuiſſe tumorem;
(Tam ſeruis malè ſeruitur: ſublime locabis
Seruilem nequicquam animam) fœtumque morari
Probroſum inpatiens, ventremque videre grauantem,
Vnâ informem vterum laribus, matremque fugauit.
Succurrit Diuûm pietas, cæloque monente,
Afflictam inflictâ matrem cum prole reduxit.
Expulſus, nondum natus, remeauit in ædes
Inuiſus patrias, nec viſus. Germina cælum
Dum noua promittit, donatque, & ſtemma recuſat
Seruile, author libertatis: vertitur ordo,
Mortua vtrìmque Venus gignit; mandata tonantis
Audiuit natura parens; peperitque ſenecta.
Eijcitur ſeruus, genuit quem libera mater,
Seruatur: mundoque Abraham ſuperiſque probatus,
Naturam, patriumque animum, pietate, triumphat:
Vt quondam cœlo valeat parere iubenti,
Et feram ſobolem iuſſas adducat in aras;
Hanc ſuaſus credit genitor dimittere prolem.
Comprobat æthereas ſua per connubia leges,

Con-

Coniugio non inferior, mox fœdere certo
Magna fides dabitur : reſpondens reddet olympus
Fœnora, próque aris, æquabit ſemen arenis.
Humanæ quòd opis puer, & ſolaminis orbus,
Deſertus morti, iacet ; adſunt prouida ab alto
Auxilia, vt ſeruent populi incrementa futuri,
Hócque impleta Arabum diteſcat ſemine tellus.
Iſmahel, hoc vno Abramides, quia fœta propago,
Laturi venient olim ſua dona nepotes,
Exortum vt mundo ſolem ex Oriente ſalutent;
Fulgida depulſis vbi lux oriunda tenebris
Soluerit ambiguum, & claro patefacta ſereno,
Seruiles nebulas, veteríſque grauamina legis
Peſſumdans, vitam libertatémque parabit.
Præclaris, non ſeruilis, ſtirps inclyta natis,
Seruilem Judam quæ degenerémque probabit,
Seruatam toties gentem, cœlíque fauore
Expanſis alis veluti, clypéoque quietam:
Reges, qui cœli noſſent Regem, edidit orbi.

LOTN,

L O T H,

Abrahæ Fratris filius.

TOPOGRAPHIA.

SVlphure quam ſpectas fumanti horrere lacunam,
Pentapolim quondam celebrem dixêre, viator.
Nunc ibi fumoſæ famoſa incendia diuæ,
Et buſtum Veneris ſuccenſis ignibus vſtæ.
Vltrices iterum cælum cùm depluit vndas,
Inſtruit illa faces, nubeſque arſêre ſolutæ,
Nimbique accenſi, queîs decinerata ſceleſtis
Sub laribus tandem turba inconſulta ruentem
Impete, ſuſtinuit commoti Numinis iram.
Sic laſciuitum, miro certamine, crede:
Omnia naturæ contraria legibus ibant,
Et flendos inter luſus afflante procellâ,
Turpibus arſerunt flammis, vt nuper amârunt.
Ignis aquâ fluxit, mox igne aqua, concita terræ
Delêrunt faciem maria, vt Cytheræa perempta,
Quo nata eſt, ſibi Cocytum, monumenta reſeruet.
Omnia in interitum iurarunt. Vrbibus orbis,
Vulcanus mortem, tumulum Neptune dediſti.
Delicias luctus, lacrymæque Cupidinis ignes
Excipiunt. Majora voles exempla voluptæ?
Collige, at incaſſum, quæ cingunt mœnia, fruges,
Illecebris blanda, arridenti poma colore;
Figere ſi dentem cupies, auidumque palatum,
Fauceſque eludent fœtore, putrique fauillâ.
Fida adeò admiſſi fert ignis ſemina tellus.

Hæc Lothi quondam, cùm lætior inſula, ſedes.
Solus in hoc mundus, contractâ ærugine, mundo,
Non eguit purgari igni, ſoluſque ſuperſtes,
Poſt flammam vltricem, gnatiſque, & coniuge binis,
Conductu ſalui Angelico, plectenda relinquunt
Arua, hâc lege tamen, retrò ne lumina flectant:
Iudicia humanos oculos diuina coërcent;
Vel Venus auersîm capit inſidioſa tuentes.
Nitimur in vetitum, creſcitque volupta periclis.
Non tenuit legem Lothi vxor, verſaque ad vrbem,
In ſalſum verſa eſt lapidem; ſpectetur vt ille
Inſulſis. Zoôr Loth pergens vrbe quieuit,
Iacturámque comes lenibat filia matris,
Sat felix, quòd chara magis ſaluauerat æſtu,
Neſcius heu! peiora ſinu hoc incendia condi,
Quæ niſi pellantur, faciunt dîu clauſa ruinam.
Séque ratæ ſupereſſe viris, patrem ocyus ardent;
Scilicet effuſæ genium; curáſque reſoluunt,
Largiùs, & plenos calices, & vina miniſtrant,
Et totum offundunt ſenium, merguntque veterno.
Commiſſus Veneris flammis furit ardor Iácchi,
Ignémque igne coquit; Bacchantes inde parentis
Inceſtis natæ complexæ amplexibus ebrî
Maternum ſubeunt thalamum. Inſanire ſorores,
Poſt iſtum mirêre ſalem. Genitricis abîſſent
O vtinam in formam! quæ ſi tam fœda videret,
Jam fieret ſtatua. En lætalis floribus ipſa eſt,
Virgineos vitis flores ſi infecerit antè.
Non ita naturæ, maleſanæ! legibus actum,
Vt ſic cuncta ſuæ redeant in originis vſum.
Infelix genitor! cui iam, ſeruatus ab igne,
Igni ſeruatur, miſer heu! quos effugit ignes,
Aſportat ſecùm, patriæque incendia vitans,
Naturæ genitor flammâ graſſante, necatur.

Hoc vno felix, geminum caſtiſſimus inter
Quod ſtuprum euaſit, ſaluoque parentis honore,
Vtraque ſopito grauidata eſt filia patre.
Dum vino, & ſomno cæcus, noctiſque tenebris,
Inceſtûs duplicis furtum non ſenſit: & illud
Mirêris, ſtatua in ſomnis quod carnea gignat.
Paſiphaës ſomnum quìn dixeris eſſe maritum?
Riuales ambæ concepêre, vtraque fratrem
Eſt enixa ſuum. Moab connaſcitur Ammon,
Iſacidis genus infeſtum; ſed quale foueri
A tali poterat thalamo. Nunc perge, viator;
Fabula nulla, tamen triplex hîc fabula. Mirrham
Legiſſe, & Nioben te, cum Phaëtonte ſtupebis.

LOTHI VXOR, METAMORPHOSIS.

NOn habet artificem ſtatua hæc tantâ arte ſtupenda,
Et ſine ſcalpello ſculpta;olim eſt ore locuta.
Dixiſſem, eſt mulier; ſed certè haud credere fas eſt,
Femina ſit, taceátque. Putas vidiſſe Meduſam,
Aut Ciconum potaſſe lacum? erras. Quod modò ſpectas,
Finxit, & amiſit ſeſe, dum lumina flexit.
Sola nec effigie, nec eget ſola iſta ſepulchro;
Curſuque in medio ſiſtit, ſtatuâque moratur,
Fitque ſibi tumulus, proprijque ſtuporis imago.
Quin, quòd ficta ſiet, poterit iam femina dici.
Nam quid habet? loquitur? quid agit, niſi femina fictum?
Ergo mentitur, mentiri ſueta, ſeipſam.
Mortua ſit, dubites, an viva; apparet vtrumque.
In lapidem ſalſum, ſtatuámque inſulſa migrauit.
In ſale defuncta eſt, quondam quo viua carebat.
Cum perijt, ſapuit, mutabile femina monſtrum.
Ah fuge, ſi ſapis, & ſal hoc contingere noli.



ISAAC,

Abrahæ filius.

TRAGOEDIA.

AD montem Moriah; funeſta Tragœdia, Ciues,
Hîc cælo dabitur; toti ſpectabitur orbi.
En prodit prothaſis, cæleſtis nuncius aulę,
Et patrio iubet Iſaâcus ſit victima letho:
Aut perdenda fides, aut filius hoſtia fiet;
Et crudelis erit, ſi pergat credulus eſſe.
Molem ærumnarum conſtanti pectore verſans,
Longiùs ignotam tendet peregrinus in aram,
Et tractans manibus fatalis cuſpidis enſem,
Aptabit toties, quoties gradietur, ad omnem
Exhorrens paſſum, per mortes mille, priuſquam
Occidat, fidei dabit argumenta probatæ.
Inque ſacra Iſaâcus properans, ſpes patris, & angor,
Et cæli munus, pretium pro munere pendet;
A Patre tot precibus, votiſque optatus & hoſtis,
Hoſtia patris erit. Puerum cum fœnore cælum
Scilicet eduxit, rurſuſque repoſcit adultum.
Sacrificus Pater, & natus, procedit vterque,
Hic faſcem, ille facem geſtans, quâ tota cremetur
Poſteritas; falcémque parat, quâ germen in vno
Exanimet trunco, vnâque in radice recidat;
Vna caput populi capitis iactura reuellat.
Spectate attenti, funeſta cataſtaſis inſtat.
Hanc facient ambo: poſitâ arâ, apponitur ignis;
Vibraríque illum, quem natus viderat, enſem

In ſe

In ſe cognoſcens, iamjam ſuccollat Olympo.
Victima ſit dubites, ſit flebiliorne ſacerdos.
Jamque anima in primo, nec territa, palpitat ore,
Atque pater gladium, iugulum cum filius, offert;
Nilque deeſt morti, quàm, quo fera deſinit eſſe,
Mors ipſa. Imperium crudele at mitior ęther,
Et ſtrictum reuocat gladium. Virtuſque triumphos
Explorata ſatis, longos diſtendet in annos;
Incenſáſque aries ſine vi ſuccedet in aras,
(Nam perimit reprobos Numen, iuſtiſque minatur.)
Hic rursùm natus, rurſúſque parens Abrahamus.
Emeritus dignam ferat actor vterque corollam.
Multiplicis terræ ſpes ſeminis integra manſit.
Spectabunt populi, facient & Olympica ludos,
Cœleſtéſque chori modulos; Author Deus ipſe,
Actores homines. Hæc fictæ cædis imago,
Oblato tandem complenda Tragœdia Chriſto.

IACOB & ESAV,

Iſaäci filij.

MONITA.

GEſta quot inuenies, tot habes documenta, viator:
Conjugio primùm ſterili Diuinitùs orti.
Votis ac precibus diſce impetrare, quod optas.
Magnum aliquid donat cœlum, cum flectitur, orbi.
En geminus prodit fœtus, Iacob optimus, Eſau
Peſſimus; infauſtum facit hic, fauſtum ille parentem.
Virtuti vitium, & vitio eſt contermina virtus;
Lætitiæ luctus, & gaudia luctibus inſtant.
Rixantur nondum geniti, venterque palæſtra eſt.
Fortè eſſet tumulus, poſſet ſi grande latere,
Conceptumque odium; ſtatque ingenioſa puſillis
Præmatura acies, veniunt ex pelle in arenam,
Ex vtero in pugnam. Primus ſed prodijt Eſau,
Et ſupplantandas ad calces hæſit Iäcob,
Communi rerum fato. Digniſſima quæque
Indigni rapiunt, non ſeruant. Saltibus Eſau
Auius errabit, ſiluas terrebit agreſtis,
Venatorque feras contrà feret arma ferinus:
At feſſus, rabidâque fame correptus, eduli
Cum gula præſentis fauces fraudabit hiantes,
Et primogenij veſanus jura paciſcens,
Ius vbi ſorbuerit, perdet; ſeruire coactus,
Qui fuerat Dominus, nimis in vernilia pronus.
Heu ſtolida improbitas! capitur qui ceperat antè,
Venalis, quali pretio! venator, & arte,

Quâ

Quâ nocuit, perijt, cùm ſcilicet inuolat eſcam,
Libertate miſer caruit, totoque palato
Deglubens ſeruile jugum, præcordia ſenſit
Sentibus hamatis, non eluctabile, ſtringi.
Nequicquàm ille Iacob demens conuellere tentat;
Inuidiam ſuperat, quæ parta eſt gloria cœlo.
Cæcus Iſaâc juſtum matris promouit acumen,
Dum laſciui inſons agnus ſub pellibus hœdi
Subrepens patri, primatum ſubripit Eſau.
Ingenio quandoque tuo tua jura juuabis.
Humanâ ingenij, quàm ferri, humaniùs arte
Vincimus, atque acie. Fratris declinet vt iram,
Exitium exilio deuitat. Venter eodem
Quos vinxit, partu, non iunxit gratia viuos.
Diuide, quandò voles inter ſe jungere fratres.
Ex odio multùmque Jacob, longùmque laborat;
Major amore labor, dum Rachel quæritur vxor,
Vt ſeruus fieret, ſeptem cùm ſeruijt annis.
Nullus amat ſapiens, ſolùm eſt amentis amare.
Impoſuit tandem Laban; pulcherrima Rachel
Subducta eſt thalamo, emeritum fraudauit Jacob,
Suppoſuitque Liam, lippam. Poſt tœdia ſeptem
Annorum, ſpatium repetit, dum nubere rurſus
Aggreditur. Diſce & mendaci, & fidere auaro,
Cùm duro inuitum promit ſudore cruorem.
Jacobo quantum ſocero fuit vtile falli!
Deformis frugi, ſterilis formoſa reperta eſt.
Rebus in humanis ſpeciem ſpes ludit, & illud
Vtilius ſæpe eſt, quod vilius inſtar habemus.
Infelix Rachel imo de pectore vota
Concipit, vt pariat; ſed fit miſeranda litando,
Votaque dum cœlo non infœcunda propagat,
Infauſtâ ſterilis turſit propagine venter,
Namque animam eſt enixa ſimul cum Beniamino,

Quamque dedit, vitam amiſit; peperiſſe, periſſe eſt.
Diſcito, quàm nobis noſtra eſt aduerſa cupido.
Inuidiam ſoceri grege, natiſque auctus Jácob
Auxerat, (Inuidiam major fortuna refellit)
Lapſuſque à ſocero in fratrem delabitur Eſau.
Dumque hæret furem medians interque furentem,
Hunc donis, illumque dolis; vtrumque repreſſit.
Securus viuat, qui ſe per munera munit:
Ferro etiam inuictus, fuluo vincetur ab auro.
Vltima virtutis nunc tentamenta probandæ:
Nîl aſtu ſoceri, aut fratris concuſſus ab æſtu,
Flagitium genitor natorum luxit; acerbas
In lacrymas ſenium ſimulato funere cogunt;
Nudati manibus ſpolium dum tractat Jôſeph,
Et fictam cædem ſincero plangit amore.
Multiplici thalamo paulùm ſolaminis ortum eſt.
Seria ſed tandem redijt, cum ſera voluptas.
Dum Benjaminum repetit, reperitque Joſephum.
Ergo inter natos bis ſex, votiſque ſecundis,
Grandæuamque animam diuiſit, & oſcula natis.
Virtutis leges, ô quiſquis diſce viator;
Non niſi poſt longos conſtant ſibi gaudia luctus.

DINA,

DINA,

Iacobi filia.

INSIDIÆ.

DInæ audis nomen, caue dicas eſſe Dianam,
Nil quidquam prodant ſimile hic inſignia lunæ;
Quam Diana fugit, cupidè hæc complexa Dionen:
Quod cecinêre Deam, ſyluis luſtriſque vagantem,
Virgineam prorſus Diuam, tædaſque peroſam,
Atque cupidinei eluctantem cornua nerui,
Aduerſum dum tela feras arcumque ſonantem
Exercet; monſtrum vel fabula monſtrat inane,
Aut Dea ſanè fuit. Mulier, res lubrica, cautè
Seruetur, facilis prolabi, proñaque frangi,
Et capitur propriâ capiens ſtudioſa ruinâ.
Nec ſaltus, & agros, venabula & aëra tantùm
Conturbant, valet aucupijs totuſque malignis
Mundus in inſidijs, fuci & fraus impia regnant:
Eſt agris depulſa quies, eſt vrbibus exul.
Totius vt mulier, cuſtodia lautior orbis,
Incuſtodita aduigilet, Dinæque periclo,
Et damni admonitu docta, eſſe domeſtica diſcat,
Et cælum atque colum colat; inter nempe palumbes,
Conſeruant, & ſecernunt ſua clauſtra columbas.
Cuſtodita ſuo maneat lare femina cuſtos,
Nec paſſim, paſſuque vago totam ambulet vrbem,
Diuerſos néve exerret peregrina per agros:
Sæpè animos variant varia interualla locorum,
Diuerſuſque in diuerſos ſol prouocat æſtus,

Et ſibi abeſt, patriæque ſuæ, longinqua requirens,
Quæ mundo rara eſt, nulla hoc conſtantia ſexu.
Ignotæ cultum patriæ ſcrutata, ſeïpſam
Neglexit colere, atque ſimul pretioſius omne
Expendit; poſtque inſidias ſpoliata, gemiſcens,
Virginei ſenſit fragili vt ſtent caudice flores;
Nec fragrant dum communes ſparguntur in auras,
Sirius eſt æſtu nimio, eſt ſol hoſtis apricus:
Immunes ſeruat calathos ſecurior vmbra.
Theſaurus prædaturis ne publicus eſto.
Juſto plùs explorantes occaſio captat,
Quod fronti immineant, offuſis cæca capillis.
Nec natam poſt mirêris lippire parentem.
Vultu equidem examen rerum faciente puella
Mulierem ſe cognouit, confeſſáque crimen,
Libatum quis enim valeat celare pudorem?
Armauit fratrum dextras, & Marte piauit
Illatam venerem. Ciues tentare Sichemi
Fœdera maluerant; ſed circumciſio toto
Obtinuit iugulo. Noſti Neptunia Troiæ
Mœnia, at hîc, fuerit niſi femina, defuit ignis.



TRIBVNI

TRIBVNI DVODECIM,

Iacobi filij.

S O M N I V M.

INterpres dulcis ſomnus ſolet eſſe futuri.
Ioſephus cælo raptus, cælúmne Ioſepho
Delatum, oràclis pectus iuuenile repleuit?
Aſpice curriculum Phœbes, hûc nobilis infans,
Signiferúmque orbem, bis ſex vbì ſidera motas
Alternant vndas, tempeſtatéſque ſonantes.
Hoc veſtræ eſt emblema domus. Diſtantia longè
Signorum princeps, *Aries* inſignia monſtrat.
Ipſa dabit virtus tibi, quod natura negauit,
Dum ſeruus fies princeps; ditabere, diues
Teque erit Ægyptus. *Taurus* deuotus aratro,
Iſſachar eſt, oneris patiens magè, quàm ſit honoris,
Perferet ille iugum iugis, vecturáque fiet.
Hic fratrum nodus *Geminorum*, Beniaminum
Aſtruit, exemplo Philadelphiæ, & vnicus ille
Vno tecum animo eſt, vtero quia natus ab vno.
Nephthalis eſt Tropici latitans ſub limite *Cancer*,
Retrogradus recto nimirum à limite flexit:
Ingenium ſeruâ natum ſeruile. *Leonem*
Nónne iubis clarum ſpectas? fortiſſima vincit.
Hæ dotes Iudę: ſceptrum qui Regibus olim,
Natuléſque dabit Meſſiæ, nomina genti.
Soliuagum, ſæuum, caſtum tamen aſpice ſidus,
Virgo eſt. An *Leuim* ſpectas? hic Cypridis vltor,
Dimotus terriſque, tribúque mouetur ad aras,

Præſagit *Danum, Libra.* Eſt æquiſſimus ille
Arbiter; æquâ etenim ſuſpendit præmia lance,
Et pœnas. Blandus truculentèr *Scorpio*, ſignat
Simonem, caudâ, ſed nil tamen ore nocentem,
Dextræ aptans telum, paci bona verba, iugato
Non ita, quàm *Sichem*, iugulato fratre, ſuperbus.
Humanâ ſpecie bifrons *Centaurus*, equinâ
Laſciuus formâ Rubenum hinc inde figurat.
Sic eſt humanus, veſtro vt de funere nolit
Pollui, & vt thalamum fœdet, laſciuia tanta eſt.
Tam pius vt ſeruet, quàm non pius edere fratres,
Ergo pari dignus palmâ, pœnâque, prioris
Nati iure caret. *Capricornum* credito *Gadum*,
Deformes, formæ vnius; Martíſque, maríſque
Turbator quondam nimirùm exaſperat omne
Tempeſtate fretum, ſudantes cædibus agros,
Omnia confundit. Sed *Aquarius*, ille miniſter
Regius, *Azerus*, mulcebit leniter iras,
A grege Rex factus tractabit pectora Regum.
Et maris illæ animæ, *Piſces*, at lubrica turba,
Depingunt ſortem numquam *Zabulonis* eamdem.
Hæc vbi prædicit ſopor, euaneſcit in auras.
Inſomnes fratres facit experrectus Ioſeph.
Quæ veſtræ fortuna domus. Durabit Olympo
Filia nixa Polo. Quid enim niſi tale referret
Indicium, mundi pictura ipſiſſima, cælum?



E. Quellinus del. Richard Collin sculp.

Digitized by Google

Iudas,

Iacobi filius.

Chriſti Linea.

Ex Leui, Iudæ fratre,	Ioſeph, Iudæ frater.	Phares.	Ex Dan, Iudæ fratre.	Ex Eſau, Iacobi fratre,
Moſes, & Aaron.	Ioſue.	Eſron.	Sāpſon.	Iob.
	Gedeon.	Ramus.		
	Iephte.	Aminadab.		
		Näaſon.		
		Salma.		
		Booz.		
		Obed.		
		Ieſſe.		

IVDAS

Iacobi filius.

ETYMON.

TErtius hic orbis pater eſt, venerare viator;
Conſilio fati tulit æquos laudis honores,
Antè gerendorum nomen cum præſcia virtus
Geſtorum impoſuit pretium, ne fortè rapinæ
Auſpicium remouens incuſaretur origo;
Aut poſt damnaret quis iniqua ſilentia furti,
Si iuſtæ renuant, Etymon, præconia laudis:
Vt rectè laudes, Iudæ ſua nomina redde.
Hoc felix mundi generoſa authore Iuuenta
Surgit ouans, talem vegetans depoſcerat ætas.
Strenuus hic, ſummúſque animis, & iuſtus Iudas:
Strenuus hoſtiles ſectas hoſtiliter arcens,
Et pro venatu pia iuſtè exercuit arma.
Magnaminuſque vadem patri, pro Beniamino
Se vouit, raptum, aut raptorem adducere certus.
Ignotum inceſtum fleuit, ſua crimina, iuſtus,
Atque breuem luxum dîu luxit. Cogere fatum
Nomine laudem omnem ſtuduit, Judámque vocauit,
In ſtirpem tituli migrauit teſſera tanti;
Vnde tribus magno ſurgens animoſa tribuno,
Innatâ facilis reliquas virtute præiuit:
Gloria pro ſtimulo cognata nepotibus hæſit;
Quilibet integrum vt nomen conſeruet auitum,
Numinis eſſe inſtar debebat: quin & eodem
Augurij titulo, maieſtas regia fulſit,

Debita quæ ætati, vitijs indebita Ruben,
Femineum ſatiùs fugit, Judámque virilem
Delegit ſceptris, & quod non detulit ortus
Virtutis meritis, virtuti detulit æther.
Difficile eſt naſci reges, nanciſcimur omnes.
Dîutius imperium nemo protendit in orbe,
Cuî longo æternùm decurrens ſtemmate regum,
Diuinis poſtremò humeris gens ſancta reſedit:
Aſcendit Iudæ ſolium ſole altiùs ipſo.
Non abs re Iudæ, myſteria prouida claudi
Infandum voluêre Dei ſub nomine nomen.
Nec vacat hic, Delta, quæ Ianua verſa latinis;
Quà tandem pronus terras implebit Olympus,
Janua, deterius melior quæ diſſipet æuum,
Ætatem pandat ſanctam, ſæclúmque nouatum,
Ianitrix Judæa Deo, genitrixque virago.
Author hic, Authoriſque parens interque nepotes
Enumerans numen (Iudæ prô gloria quanta eſt!)
Judæúſque Deus dicetur. At inuida fata:
Inficiet tanti, ſimili ſub nomine, Iudas
Nominis auſpicium, quodque hic parat edere numen;
Poſtquam prodierit, prodet, ſanctúmque profanis
Os violans labris, fruſtrà alti nominis hæres,
Turpiùs amittet, queîs nunquam dignus honores,
Proijciétque ſuas inglorîa nomina laudes,
Et probro ingenti vertet. Diſce, viator,
Antiquis faſtos titulis iactare ſuperbos;
Solius eſt hominis, non nominis, inclyta virtus,
Perfidiam totidem, quot ſcribunt grammata patrem.

JOSEPH,

IOSEPH,

Iacobi filius.

EVLOGIVM.

PRimitiæ ſterilis dulces Rachelis, Jōſeph,
Naſcitur vndecimus, reliquos præcurrere partus
Virtute vt poſſit: quiddam naturâ ſtudebat
Edere præclarum, totque exemplaria dando,
Seſe tentabat, quò tandem abſolueret vnum.
Maternâ ſpecie, patriâ virtute decorus,
Ceu typus, vt fratres iam natos corrigat, exit.
Dormitans, placidumque vigil, medioque ſopore,
Somno inſopitus diſcit pingente, futuri
Imperij culmen, tellúſque, & nuncius æther,
Faſcibus, & facibus ſignant inſignia regni.
Dum reparat feſſum renouato robore corpus
Mens vigilat, tutoque procul ventura tuendo,
Excubias agitat. Grande eſt regnare periclum,
Atque altum ſupra inuidioſum excellere vulgus.
Conclamant mortem fratres, ſibi ne imperet vnquam;
Aut miſerè ſeruiturus ſeruetur alumnus,
Conſilio tandem viuus liuoris humatur,
Ne defoſſus humo facilè hinc aſſurgere poſſit.
Quam foditis, planta excreſcet radicibus altis:
Id forſan metuunt; ſeruus diuenditur infans,
Seruus vt ingenio maneat ſeruilis inerti.
Exiguo Ægyptus magnas ſibi comparat auro
Diuitias, patriam ô nimium iſtâ merce beatam!
Exilio ditem puerum! fortè inclyta virtus

In patriâ haud potuit ſolui, iuſtéve liceri.
Emptus ab Eunucho, ſeruile vt femina penſum
Imponat, tam non alijs benè nata præeſſe,
Quam malè naſcentes compeſcere neſcia motus.
Impuræ ſeruit purus, caſtúſque ſalaci,
Ingenuus captiuæ, agnus parere coactus
Ad mandata lupæ, non irâ, at amore ferocis,
Mancipij ſpecie capitur domina, ille reſiſtit;
Cogere in illicitos renuentem cogitat æſtus,
Hic fugit, at votis forma aucta pudore repugnat,
Contrà luctando, quos nollet, concitat ignes;
Quantum forma fugâ, tantum ipſe dolore repulſæ
Creſcit amor, verbíſque vocat, vultúque procaci
Allicit, immotus perſtat, dominæque negando
Obſequium defert domino, ſeruuſque fidelis
Seruitium detrectando, ingenuuſque probatur.
Mille in amore doli, (ſed enim non ſuſtinet vltrà
Perdere blanditias) captiuæ mentis egena,
Non bene morigero infirmam ſe corpore fingit,
Et ſtrato impatiens lento quos verſat amores,
Molle coquit, Veneríſque auſpex conſultat olores.
Infeſtum feſto mulier patrare piaclum
Aggreditur, ſeruus dominæ in penetrale vocatur,
Et fruſtrà prenſus vacuum intrà brachia linquit
Ardentis ſpolium, furijs ereptus amoris,
Irâ plectendus. Sic quondam infecta cruore
Hircino veſtis, luctu indagata parentis,
In lacrymas ſenij conſtantis ſoluerat æuum:
Rapta chlamis capræ laſciuis tactibus iras
Rictúſque inſanos, verſæque tonitrua vocis
Confundit; veſtemque animis hera ſæua ferinis,
Indicium inſonti obiectat, ſimulanſque pudorem,
Quamquam inuita, ſuum, tentati opprobria raptus
Vertit in innocuum, valet accuſatio fraudis,

Nempe

Nempe reos ſequitur fauor, inſontéſque reatus.
Complexu ille fidem potiùs quàm lædat herili,
Compede ſeruili capitur, libérque ſubire,
Quæ meruit numquam, mauult, quàm vîncla mereri.
Sed quidquid virtus intrat, facit eſſe decorum.
Lingua animi loquitur dotes, geminíſque miniſtris
Piſtrino addictus ſua priſtina fata recenſet,
Occultuſque ſuis, alijs occulta reuelat.
Huîc ſpondet calices, cum carnibus ille caniſtra,
Et vitam amittet: fruſtrà pincerna rogatus
Eſſe ſuo gratus vati. Sic immemor omnis
Dilapidat factum benè. Sed mox iuſtior æther
Captiuum indigno vînclorum pondere ſoluit,
Diuiderent regi cùm triſtiâ, lætáque noctes,
Ambages ſomni, vt ſoluat, ceu terga nitenti
Per latebras anguis tractus dat ſplendida Phœbo,
Ipſe vel è victis qualis ſol nubibus exit;
(Nemo malum melius, quàm qui bene proſpicit, arcet,)
Ægypti regnis, Ægypti fata locutus
Præficitur. Vatem res atque orâcla probârunt.
Septem annis diues tulerat ſua fœnora tellus,
Depoſitum rurſùs totidem fraudauit auara.
Quæ fœcundarat quondam, ſol arua reuiſens,
Surgentes contra inſurgens exuſſit ariſtas,
Et primâ ſegetem naſcentem occidit in herbâ,
Mutauítque ferox annos annona feraces.
Numquam continuò natura eſt prodiga conſtans.
Et dudum ſterilis, dederat quæ fertilis aura,
Cuncta abſumpſiſſet; diſpenſat prouidus augur,
Et promus condus, quæ condidit, hórrea promit;
Pyramidéſque graues granis, mox ante ſepulchra,
Dant victum viuis, &, quæ farcimina quondam,
Solicitant tumulis farciri Hinc antè tepente
Condita in annonâ, dira cùm promeret, omnis

Plebs ſeruatorem ſeruum, patremque ſalutat.
Longinquam Ægyptum mendicans Aſia migrat,
Frumentatores fratres agnoſcit Iöſeph;
Scilicet hoc æqui poſcebat talio fati,
Vt quem vendiderant, victum diuenderet illis;
Diſſimulatque ſcelus, nec ſe cognoſcere fingens,
Dulciùs agnoſcit, compôſti crimina furti
Arguit, atque pari cùm fratres carcere damnat,
Supplicio claudit luctantem pectore amorem.
Lubrica res amor eſt, profundo corde coactus,
Pupillas rumpit, penetrat trans lumina cœcus.
Se lætis ergò lacrymis confeſſus Iöſeph,
Illis ſe gaudens prodit, queîs proditus antè.
Iam domus hæc polus eſt, bis ſeno lumine ſplendens,
At ſine ſole polus, bis ſex ſine ſtirpe ſtolones.
Patre accerſito, tota eſt fortuna ſerena:
Et natum nouitèr viuit complexus Iäcob,
Patre iterum Ioſeph. Sic aſpicit altior æther,
Deſpicit inuidiam. Demùm omnibus auctus Iöſeph,
Si patriam excipias, patriæ vult eſſe cadauer.
Morte ſemel raptus, fletus ter, bis tumulatus,
Poſt mortem peregrè natales tendit in oras.

PHARES

PHARES.

Iudæ Filius.

PRODIGIA.

PAtris adulterio, matríſque inceſtibus ortus,
Natus auo patre Phares, fermè matre ſorore,
Prodigium! probrum tandem diffame parentum,
Poſteritatis honos erit, & laus ſera nepotum.
Vir leuir Thamar binus cum liquerat orbam,
Hæc iterum erepti fratris deſponſa mariti,
Vt demùm optati veniant ſolatia partus,
Connubio mulier fraudata, libidinis æſtu,
Ab ſocero prolem Iudâ furatur, & vſu
Proſtituit pellax, non viſu pellice, corpus.
Fors vultum celans, ne proderet auſa rubore;
Concepítque nothum, fratremque ignota mariti,
Vel quouis tandem pretio non orba futura.
Prodigium dirum! obſcuri conuicta meretrix
Arguitur ſceleris, manifeſtáque crimina pleno
Accuſante vtero, ſocero ſub Iudice lis eſt;
Vt qui flagitium patrauit, iudicet idem.
Ducitur in flammas, ardorem vt vindicet æſtus,
Vulcanus Venerem; ſcorti ſed præmia facti
Producens rea, percellit cum Judice legem,
Et crimen Judas, ad conſcia munera, faſſus,
Conuictuſque reâ, Iudex, reus ipſe gemiſcit,
Juſtitiæ exactor paſſus ſcrutando ruinam.
Sanctus adulterio miſcetur, gignit adulter,

 Et

Et bis adulterio deprênſus adulter eodem,
Ipſe ſuum geminat crimen, dum germinat vno
Inceſtu geminos, vt nota iniuria partu,
Et bino fœtu teſtatum dedecus iret.
Prodigium, & probrum! partuque inſtante gemello,
Cocco exerta priùs ſignatur dextera Zaræ,
Signatam reuocat, Phares prior exit ab aluo,
Qui poſtremus erat. Diuini Numinis almum
Prodigium! at quid portendit? forſan puer horret
Inque vterum reſilit, lucem eluctante pudore?
Aut nondùm funis captiuis coccinus omen,
Ægypti plagas & triſtia funera ſignat?
At certè authori diuinæ debita ſtirpis,
Index ad fratrem delata eſt purpura regni;
Aut fortè auroram loquitur quia nomine Zara,
Officium tentans, primi ſub lumina ſolis,
Puniceùm irradians, facis inſtar, præuia lucis
Pandit iter. Gemini quidnì præpoſtera ſortem
Significat populi? qui nempe acceperat olim,
Decepit primus, dextrámque à lege retraxit.
Felix prodigium! potuit prodeſſe nocendo.
Hoc nemo vtilius commiſit crimine crimen.
Legitima in ſteriles cùm proles arida Judæ
Deficeret thalamos, hæc ſpes ſeruata nepotum:
Regum hoc Judææ propagat ſtipite ſilua,
Conſilio superûm, ſpurio, bibat vnde ruborem,
Decolor Hebręûm, ac auguſtum purpura coccum:
Regalemque thronum, ſæuæque tyrannidis auſus
Oppoſitus thorus excutiat, ſua vindicet almus
Aſſertor iura. At maius, quàm credere fas eſt,
Prodigium! Chriſti domus hæc in probra ſuperbit,
Criminis egregij ſtirps regia labe notatur,
Quæque Deum gignet, iactantur Virginis ortus,
Partuſque inceſtâ ex auiâ, dum Thamare nati,

Ad Chriſtum ſeri genitores ſtemma propagant.
Forſitan inde magis Diuûm incunabula ſplendent,
Pulchrior in nebulis curuatur vt Iridis arcus,
Aut ſcelerum docet vltorem minus eſſe ſeuerum,
Ne prauos plectat proauos. His diſce viator,
Prodigijs firmam certò ſperare ſalutem.



IOB,

Eſau pronepos.

MONOMACHIA.

Hanc, Ciues, gemini athletæ ingrediuntur arenam,
Cum Jobo Dæmon; tenebræ ſic lumina vellunt,
Virtutem liuor, iuſtumque laceſſit iniquus.
Hic orbis dux occidui; dux alter Eöi,
Multiplicem ſimplex contrà luctabitur hoſtem;
Ille alius ſemper, ſemperque hic vnus & idem;
Informis formas variabit, at ipſa triumphos
Incertæ augebit nimis inconſtantia partis,
Nempè vnus ſternet multos. Luctam incipit, ecce
Longinquâ mollis ſpecie, vultúque Sabæus,
Inuadit Iobi pecudes, armentáque prædo.
Hæ primæ illecebræ, ſtygis hæc prima arma furentis,
Mollities, animi eſt quo frangat robora, robur:
Delicijs ingens nequicquam pectus adorſus,
Et ſic diffidens ſe poſſe nocere, nocendo
Aggreditur, nocuum vt faciat: mutatur in iram,
Collectiſque hoſpes flammarum viribus, ardet:
Stare vbi non valuit, celſo ætheris axe relapſus,
Incendit, quàcumque incedit rura, domoſque,
Paſcentemque gregem rapido depaſcitur igni.
Mentitus magicis Chaldæûm hinc agmina ſignis,
Cum trepido dites agris ductore, camelos
Corripit; immotus iacturam ſuſtinet omnem
Diuinus pugil, & gratum æquè numen adorat,
Diuitias cùm affert, cumque aufert, ditior olim,

Nunc

Nunc mage tranquillus pauper (mala commoda, gazæ
Prolixæ nimium) furemque ferendo fatigat,
Et prædonem, de prædâ nihil anxius angit.
Sic eſt proluſum: propiùs nunc admouet arma,
In ventum verſus, quo regia verſa ruinam
Occupet, æquè imo plaudat tellure reuulſa;
Nîl his eſt ventis, fucisque nocentius aulæ.
Omnes conturbans, nondum, cui turbo nocebat,
Attingit Jobum; fracto lare, liber anhelum
Aëra reſpirat, cælumque infractus apertum.
Maiorem aſt ventus lacrymarum ſuſcitat imbrem,
In medijs tumulos epulis, & funera verſans,
Inque repentinos voluit conuiuia caſus,
Et tecto pueros ſæuum labente trucidat;
At fruſtrà terram, qui nîl agitauit Jobum.
Hic veſtem ſcindens ærumnis pectora pandit;
Poſt natos, & opes, poſt omnia ſuſtinet orbus,
Et vitam ſpoliatus habet, nîl præter, & illam
Continuò oblati cruciat tortoris imago,
Non rapit, vt corpus medians interque cadauer,
Nec mortem curet, nec vitam. Hoſtem ergò cadendo,
Inuictus ſternit victor ſub clade triumphans.
Nîl latro, ventus, nîl proficit irritus ignis,
Fors tentabit aquas, & Lethes hauriet aluum,
Aſt ipſam biberat, ſic immemor omnia perfert;
In medijſque malis, quæ ſola eſt libera lingua,
Æthereas ſuâui diſtillat murmure laudes.
Inſultat demùm feſſo pro dæmone coniux,
Deterior quidquam ſi fortè vicaria poſſit.
Delegata viro ſupremum imponere ſuadet
Exitio finem, & letho præuertere lethum.
Viſa ferè rectum mulier maleſuada monere,
Impatiens, præ luxu, debilem habere maritum,
At perſonatam, pietas ſincera reuelat;

Linguam lingua premit, blaſphemáque iurgia vincit.
Jamque ſibi ac vxori inuiſus, viuere mauult,
Vt ſpirat quotiès, etiamnùm verberet hoſtem.
Nîl Deum amans præter, mortem ipſam protinùs odit,
Fortius arcere eſt miſero, quàm arceſſere mortem.
Et nudus ſolam raptus intérque ruinas,
Palmam habet, at victus dæmon tandem inuolat ipſam;
In probra adductos ſoluit probroſus amicos,
Tamque ingens ſalibus virtus agitatur amaris,
Et magnæ extenuant conuitia præmia pugnæ.
Hoc vno Jobus felix, quod ſumma malorum
Inuidiam extinguunt, ideò niſi fortè repoſcant
Inuidiam. Sed adhùc infeliciſſimus hoſtes
Inuenit, & nigro pangunt liuore Poëtæ,
Mordaces adeò, vt poſt vlcera vulnera figant;
Tanta in virginibus ludit proteruia Muſis.
Extremo virtus tandem indeiecta labore,
Eſt animuſque ſuper: fruſtrà contemptus, iniquos
Contentus cæſis hoſtes Job expiat hoſtiis.
Hic feſto cæli plauſu ſonuêre theatra,
Præmia victori poſt prelia reddita, laurus.
Prolibus atque opibus, fundíſque bis auctior auctis,
Ipſe ſuos cecinit luctus, fatíſque ſuperſtes,
Poſt mala cuncta bonus, non eluctabile robur,
Longè impar mundo, cæli trans ardua vexit.

ESRON

ESRON,

Phareſi filius.

RAMVS,

Eſronis filius.

AMINADAB,

Rami filius.

AVLICISMVS.

HIc aulæ varians ordo leuitate triumuir,
Inſidam eſſe aulæ ſortem, velut aura, probabit.
Creuit in Eſrone, in Ramo ſolidata reſedit,
Aminadab fugit. Nemo felicior Eſron
Aulicus; hic Cererem cùm ſidera iniqua fugâſſent,
Cumque Ægypto Aſia exuſtis ſterileſceret aruis,
Et cælo torrente, arebat, quidquid arabant,
Dum regeret Pharao, patruo prorege Ioſepho,
Ægyptum colere incepit. Cultore beata hoc
Terra ſuas auſit fruges ingrata negare?
Quin larga admiſſo pro ſemine fœnora reddens,
Fœcundam pariens, & parens præſtitit alvum.
Soliuago ille ſolo, vitam tranquillus agreſtem

Vrbi

Vrbi poſthabuit; nempe arcta mapalia lætam
Et lætam ſortem faciunt: plauſère Canopi
Regali dites Iudææ vomere campi.
Jnnocuam fundos ſtiuam ſenſiſſe putares.
Non infœcundi fœcundo rure coloni:
Scire cupis quâ vi naſcens ſoboleuit Juda?
Vna tribus quondam paucos, ſua pignora, natos
Ægyptum adduxit; queîs ſeptuaginta virorum
Millia bellantûm luſtra octoginta dedêre.
Sub clemente adeo reſpublica rege propagat;
Jndulget facilis conceptibus aura Fauonî.
Velite fortunâ, ſic creuerat hactenùs Eſron,
In Ramo poſt indigenâ ſubſiſtere cœpit;
In ſucceſſores dum ſceptra orbata reſultant;
Et comis comitans Ioſephi obliuio funus,
Concluſit ſimul immemori meritum omne ſepulchro.
Hoc aulæ ingenium, male fixo in marmore facta,
At benefacta leui vixdum deſcribit in vndâ;
Jnterituque viri, meritum ſimul interit omne.
Nî deſpecta ſient, ſuſpecta habet omnia liuor.
Non tulit Ægyptus numero & vi ſurgere Judam,
Jnque miniſterium cunctos ſeruile coëgit,
Vt terram lateresque coquant, & preſſa luto gens,
Deſperet libertatem. Sors regia cœno
Conuerſa Aminadab fixum depreſſit inerti.
Jmpoſitam, impoſitis operam cenſoribus, vrſit,
Crebra vt difficilem faceret mage quæſtio quæſtum,
Et qui ceſſantes inceſſant. Ergò miſellis
Aut opus impigrè, aut, animas agitare neceſſum.
Jlla tyrannorum ſiquidem natura, daturi
Diuitias rapiunt, & mox ſua dona verentur,
Ditatos calcant, ne calcitrare minentur.
Attamen immunes cuiuſuis noxia noxæ
Nîl lædunt, ſtirps inde magis ſeſe extulit Hebri,

Semineceſ,

Semineces, at viuaces propagine mirâ
Turſêrunt rami, veluti per jurgia tritæ
Gramina Baſilicæ validis radicibus hærent.
Fortunâ dolor eſt ſterili nimis eſſe feracem.
Horruit excetram hanc Pharao, gladiumque ferocem,
Ne creſcant vltrà, ſtringens pro limite fixit.
Viſum maſculeos omnes occidere fœtus,
Viuat, & in Venerem maneat femella ſuperſtes;
Parcendo fermè, quantum perdendo ſceleſtus.
Sic ſe ſæuitiæ comitem laſciuia iungit.
Aminadab, cur non citiùs, cur ſeriùs ortus?
Ægyptum vel cùm tetigit, vel Hebræa reliquit
Libertas? verùm felicior omnibus vnus,
Jnfractiſque animis, tanta infortunia riſit.
Hoc miſerum eſt, ſortem miſeram non eſſe ferendo.
Conſtantem inconſtans mentem fortuna probauit.
Tres age compone has ætates, aulice, & aulæ
Aſpice vertumnum. Hoc ſe omnis ſors cardine verſat,
Arridet, ridet, tandemque irridet amare,
Plaudere viſa priùs, ſupplodit iniquior, & mox
Explodit, vicibus vitium his ſi principis adſit;
Moribus in partes nequidquam accommodus omnes,
Cautibus his, etſi cautus, patiêre ruinam.

MOSES,

Leui nepos.

APOTHËOSIS.

IAm naturâ Deos, homines ſuêta edere, gignet:
Ingenium medio creuit prouectius æuo.
Hebręis odio fractis conſtante tyranni,
Affulget noua ſpes Moſes, mirabilis ortu,
Vita, obitu. Primùm fluuij committitur alueo,
Exactóque vtero, lethes fit furua lauacrum.
Jacturâ iactus caruit, ſpecieſque decorum
Abſoluit rapidis puerum ſpectata perîclis.
Eminùs hærentem biblos interque papyros,
(Nam primis etiam voluebat biblia cunis)
Nata optat regis, quin mox educit, adoptat,
Educat. Ingenuis aulæ ſeruire repugnat.
Oſores vindex patriæ, fratrumque peroſus
Occidit percuſſorem, profuguſque latendo,
Seceſſu obſcuro, ſucceſſu illuſtrior exit.
Namque ouium, inde hominum dilecto paſtor Jüdæ
Delectus, princeps; populo, cæloque datore
Partum munus obit, libertatemque ſuorum
Flagitat à duro precibúſque, miniſque tyranno.
Non exorabis, quibus aures lumina claudunt,
Et bifidum adſtringit cor impenetrabile pectus.
Dæmonis hanc ſimulat cum mimica ſcena magiam,
Quam linguâ tandem manibus facundior, aures
Percellit terrendo oculos, & corda laceſſit.
Quos Deus indurat, fruſtrà emollire laborat,

Vix, dum

Vix, dum pleĉtuntur, fleĉtuntur; & æquore aperto
Plebem incedentem, & pelago cedente ſecutus
Decedit Pharao, memoríque in flumine pendit
Quas nato pœnas Moſi decreuerat olim.
Arte ſuâ pereunt ſæpe inuentiſque tyranni,
Et dolus authorem inuoluit. Iam fecerat iſta,
Plura à veſanis Moſes paſſurus Hebræis.
Optatam in ſedem ſternax promiſſaque regna
Solicitè cùm vulgus agit; ſeducere ſanĉtum
Duĉtorem reputant. Probitas per probra probatur.
In grege paſtorem vixiſſe hic profuit ante,
Viuere cum brutis didicit. Sic cùm benè faĉta
Mittis ad ingratos, amittis. Pumice lymphas
Euocat, ingratis haud ingrata vnda liquatur.
Virga poteſt lapides, hominum nec findere corda.
Admonitíſque ſiti, quondam hauſtus amarus aquarum
Dulce ſapit; populis nequìcquam mella propinat,
Queîs cor fellitum, & tumet atro murmure lingua,
Et fruſtrà ancillans eſcas natura laborat
Condire, immemores auido ori fercla vorantes,
Munificem mordent, etiam cùm munera mandunt.
Oblita cæleſti caneſcunt gramina rore,
At faſtiditum primo vix ore ſalutant.
Delicias ſi commutes cum paupere viĉtu,
Obloquia incurris, res eſt ſeruire palato
Ardua ſeruili: ſic libertate fruiſci,
Seruire impatiens, tollit ſua cornua ſeruus,
Grexque luto nuper coĉto lutulentior ipſe,
Eſſe nequit liber, neſcit ſeruire coaĉtus,
Difficileſque remoliti ſine compede greſſus,
Quas fugiunt, rurſum exoptant circum fremere ollas.
Ignauum vt valeat Moſes mollire cerebrum,
Ad ſummum ingreditur per fulmina miſſa tonantem,
Jura rogaturus per totum quæ eroget orbem,

Diuiniſque adytis ſimilis Diuûm ipſe reuerſus,
Atque faces facie, mirum ¦! iaculante biſulcas;
Scintillantem vtrinque vomunt pia tempora flammam,
Erronem vt gemino perſtringat lumine gentem,
Jumento reperit ſimiles, iumenta colentes.
Latori paſſim obtrectant, legemque retractant;
Inſcriptam ſaxis meritò; illi ſaxa rogabunt,
Qui ſaxum violant. Quantum eſt liquiſſe perîclum!
Ne vel adire Deum compulſus, linquat ouile
Antiſtes. Rurſum repetenda oracula poſcens
Idem ter redit, atque alius, ciuilia condit,
Militiam, & ſacri concinnat iura ſenatus,
Cum ducibus ſtatuit proceres, caſtróque, foróque,
Pontifices templis, cunctiſque potentior vnus
Orbis legatus, cælum delegat in orbem,
Cum ſuperis pactum irreuocabile ſancit.
Præ reliquis doctum diuini pagina textus
Clamat, Diuinis nimirùm nomina, faſtos,
Inſcripſit factis, & commentaria cælo.
Perque quaterdenos ſtationem ſtrenuus annos
Conſeruans, quod non reperit, trans auia certus
Fecit iter, dux ingens, fortis machina belli,
Et cælo propior fixus ſtans collibus altis,
Brachiaque attollens, fulmen iaculatus in hoſtes
Vibrauit. Ductor tandem poſt mille viarum
Anfractus, tamen infractus, primùm atque ſupremùm
Amittens, vidit patriam. Defecit, id vnum
Humanum fecit. Morientem nemo, nec vllus
Extinctum vidit, tumulo aut ſua nomina ſcripſit,
Quomodò, ſi poſſet, vellet Deus ipſe perire.
Ergò fuiſſe Deum credas, ſaltem Pharaonis.

AARON

AARON,

Moſis frater.

PARÆNESIS.

HVc adſis, Præſul, paucis, aduerte, monebo.
Fidere ne poſſis, cecidi, diffidere noli,
Conualui. Primùm vinxit me tempora circùm
Infula, nec fixit ſtabiles, quos finxit honores.
Moſis ego fratrer, pars altera fratris vterque,
Diuerſum officijs corpus diuiſimus ambo,
Ille manu facilis, linguæ mihi promptior vſus;
Singula nonnulli, non omnia poſſumus omnes.
Plùs æquo indulgens, vulgo meliora petenti
Numina, Dæmonium obtruſi conflatile, Ditem.
Congeſtas, aurum, decoxerat ignis inaures,
Monſtrum ego conflaui, moniti fortè auribus ipſis
Vt ſaperent oculi; ſtolidum verò eſſe probaui
Conſilium, quid enim ex aurô non mundus adoret?
Nempe informe colunt etiam. Eſt pro numine numus.
Materiæ tulerunt pretio, jumenta figuram,
Vt ſimiles colerent ſimile, & laſciuia circum
Jnueſtiit vitulans vitulum, grege ductus ab ipſo
Seductus paſtor, pecudem trans auia duxi.
Quoque Deum Moſes elemento inuenit, eodem
Dæmonem ego. Artifici ſed opus non charius vllum,
Non inuentorem Phalarin ſic taurus ahenus,
Me meus vt torſit vitulus, gemuit ſemel ille,
Semper ego, finem luctus poſt ludiera fecit,
Vulcano tandem vitulus, ſua reddita proles,

Obſequio crimen quo fecit, flamma piauit.
Eſcâ conuerſum virus, morbuſque medelâ,
Idoli cineres in aquâ afflictiſſimus hauſi,
Delerent lymphæ facinus lymphantis Iacchi,
Imbibitúmque ſcelus cùm trans mea lumina rupit,
Jdolum effleui. Populos populante procellâ,
Leuitæ vltores conturbauêre, cadentes
Aſpiciens cecidi, & triginta millia cæſos
Cùm vidi, occubui totiès, ipſique cruorem
Fuderunt, lacrymas ego. Culpam Antiſtitis illi,
Senſi ego ſupplicium populi, fletúque profuſo
Exhauſtus, nullas natorum in funera ſerò
Seruaui lacrymas, nimiis heu luctibus impar!
Infelix pater, infelicia germina, natos,
Sacro adoleri igni, vidique adolere profanos.
Conſumptus demum longo pro crimine luctu,
Non inueni alijs lacrymas. Solamen id vnum,
Alma ſacerdotii cingebant tempora vittæ:
Munus erat ſacrum ſuper, at ſpoliandus & illo,
Hor montem adductus, nudatis tempora canis,
Atque fatigato decuſſa eſt vertice mitra.
Pontificem depontanum mors vltima tandem
Suſtulit, optati ſpectantem litoris oras,
Non habitata vnquam; longè mihi patria viſa eſt,
Extorrem, terræ peregrinæ condidit, aluus.
O fata hæc quiſquis, quæ me voluêre, reuoluis,
Res, crede; infelix, res eſt incerta præeſſe.

NAASON

NAÄSON.

Aminadabi filius.

EXEMPLAR.

HÆc quicumque legis, mirare, expende viator;
Exemplar ſit principibus dux ille tribulis,
Et princeps Naâſon. Prior Egypti arua reliquit,
Deuotámque luto vitam, cænoſáque iura,
Fortunæ protoplaſta nouæ, Moſémque ſecutus
Nîl Pharaonem audiît; vt qui nec vellet amare
Fruſtrà ſeruatos, nollétque amittere Hebræos,
Trans cæli tandem gladio vaſtante tenebras
Amens amiſit. Cælo parere iubenti,
Auguſtum imperii augurium eſt. Aciéque morante
Surgentem ad ſolem primùm ſua caſtra metatus;
Vltimus vt princeps ſolem tuaâre cadentem,
Naſcentem primus. Caſtris ſanctuâria fecit,
Solicitè èque tribu Leui,ſocia agmina Legit.
Cum ſuperis contrà tutum eſt luctarier hoſtes.
Cædibus hic cędes proludent, hoſtia crebra
Contra hoſtes arma expediet: nam fœdere certo,
Eſtque alterna ſalus, cùm princeps ſacra tuetur,
Conſeruata ſuum tutantur ſacra patronum.
Procinctu inceſſit primus, Martémque laceſſit,
Non niſi ceſſurus victoria parta receptum
Inſonet. Inuerſi lex eſt præpoſtera belli;
Si dux militibus, non ducitur à duce miles.
Primus Erythræa impauidos trans litora greſſus
Fixit, diuiduum calcans mare, ſeque elemento

Mendaci credens, pelagus cum pallida turba
Indagat rubeum, fortis freta concita riſit,
Nempe Deo fretus, mens & fiducia tanta,
Cæleſtem vt genium præcurrat. Nil duce tantus
Dux eguit; ſectum mare, tranſgrediente Naäſon,
Attonitum ſtetit, & cælo legata columna
Pone aciem ceſſit, dux cælo audentior ipſo,
Securuſque ſui cæleſtia ſigna præiuit.
Dux quantus Naäſon! reuerentibus ambulat vndis,
Aſſurgunt fluctus, aqueum velut vndique ſtipat
Cœmentum, ſolidi fert ſe trans æquoris ima,
Pro fluctu terram calcat, pro littore fluctus;
Fortè ſuo ſtolidas ſolidauit robore lymphas.
Stantem vndam, potiúſne ducem mireris euntem?
Principis obſequium grande eſt, mirabile ponti
Officium, veluti ſupplex ſubſternitur æquor;
Indomitumque ſalum virgâ tingente domatur,
Vaſtúſque exili ligno ſtat fluxus aquarum.
Æquoreos ne finge Deos, validumque tridentem.
Hic pontum ædificans, poſitis altrinſecùs omne
Mœnibus inueſtit vulgus, ſtagnoque coactum,
Adſtringit pelagus, vehitur ſine nauita naui,
Profundo altior, & venerantibus imperat vndis,
In medióque mari caſtris complanat arenam,
Vtque nouo venturum hoſtem ſtratagemate vincat,
Aduentans agmen ſuperacto flumine mergit.
Veſtiat vt meritò regalis purpura Naäſon,
Primus purpureum ſubijt mare. In ardua, princeps,
Sis prior exemplo; quæ præcipis, incipe primus.

SALMA,

Naäſonis filius.

GRATVLATIO.

GRatulor ô Salma, dux feliciſſime, grator,
Tu populo erranti deſerta per auia cæco
Ortus(deſerto ſed nîl fœcundius iſto),
Vix natus, peregrinatus, natalia ſpernens,
Exilium patriis coluiſti paſſus in oris,
Patriam in exilio, clara incunabula ſtipans,
Gratuler vnde magis, cælum trans fulgura legem,
Et ſua iura dabat, cælo cognatus in auras
Prodîſti aërias, cui lex, cognatáque Jura,
Vt iuſtum mundus veneretur; fulgura, luſus,
Et cæli murmur, modulos, tonitrúque verendum,
Luſiſti in cunis, altóque crepundia poſcens,
Quæ paſcant fruitus cæleſtia ſidera alumnus:
Manna tibi pia mamma fuit, dulcedine morum
Suâuia poſt animis alimenta elementa profeſſo.
Profuit eſca viæ dulcis, via donec acerba,
Pro lare terra vaga, & largum, penuaria, cælum
Obtulit, aſſiduo cælorum agitatus ad inſtar,
Nîl motus, totidem annis quadragintà dierum
Produxiſti iter. Inſanæ blaſphemia plebis
Obfuerat, paſſi[illegible]inguâ pedibúſque vagantes,
Non rectàque prius, quam recto inſiſtere, nôrant.
Fors Peripatetices exin primordia claſſi,
Inceſſu vt pariter veniat ſapientia lento.
Anguineos ignes, ſeu ignitos dixeris angues,

 Lubri-

Lubrica tartarei Salamandræ germina, nati
Serpentes, linguíſque phalanx armata triſulcis,
Pœna æqua, veſana vt murmura, ſibila plectant,
Et linguæ tollant linguas, furiæque furorem.
Has victor reſtinxiſti, prece ſupplice, peſtes,
Orator fortis ſtygios ſopire dracones;
Nulla magis prompta eſt, nulla excantatio maior;
Qui linguas mulctant, pereunt linguæ anguibus angues,
Fortior eſſe ſolet, ſuauiſque reciproca pœna.
Macte animis, Heros, media inter funera ſolus
Obdurantem animam exerces; & fata coërces:
Jám ſocia è Lybicis gens omnis transfuga terris,
Tolle vnum aut alium, antè viæ confecta labore,
Quam confecit iter, cecidit, populoſa fuêre
Cribri inſtar, cunis deſerta quot aucta ſepulchris,
Peſſima dum perdunt, equidem meliora dederunt;
Altera gens inijt, gens altera prodijt inde,
Aſt quantæ virtutis honos; animíque poteſtas!
Totam aciem ferri vna acie tutatus in hoſtes
Primus fers, atque arma refers victricia primus,
Et triginta tribus proſtratis regibus, annos
Prænumeras totidem Meſſiæ, fama perennis
Succenſæ Hierichontis erit, progreſſus in vrbem,
Orans, explorans, cùm vinci poſſe videres,
Viciſti actutum, Raab ſeruata reſarcit
Coniugij legem, hoſpitio comperta fidelis:
Quæ ſeruatorem meretrix meritiſſima gignat;
Cuius ſeruauit patres, Tu ſoſpes, & hoſpes
Optatas Iſrâel duxiſti ſoſpitem in oras,
Promiſſæ patriæ pater; at fors palma parenti
Metam vt perciperet, qui ſe præmouerat antè,
Hæc debebatur; meliùs partita niteſcet:
Sic viſum ſuperis, diuiſiſque ambo trophæis
Gloria tu patris, generoſi is gloria nati.

Hic

Hic quidem Erythræum quondam peruaſerat æquor,
Iordanem tu tentaſti, non degener vno hoc
Paſſibus, atque animis paribus, cedentibus vndis
Nudatóque vado; virtuti cedere dudum
Vnda mari docilis didicit. Fortiſſime ductor,
Sudores lympha hæc tergat, frontemq́ue ſerenam,
Vocalis ripis Iordanis canna triumphos
Buccinet, éque malis ſuperatis poſt mala gaude,
Verſatumq́ue animo memori indulceſcat amarum.
Delicijs, Salma, fruere, inuictiſſime partis,
Afficiatq́ue aures, oculos quòd terruit olim.
Te debellare, & bellari eſt auſpice cœptum,
Et quiuis hoſtis ceſſit, niſi fortè receſſit:
Te reduci centum duce Iuda eſt vrbibus aucta.
Admonitíque tuo vacuas dimittere ſedes
Indigenę gladio, impleuerunt Tęnara Ditis.

IOSVË

Ex Ioſeph.

TRIVMPHVS.

PRæclaros Ioſues hùc inſtrue Silo triumphos;
Ante tubæ Hierichô lætis accentibus auras
Impellant; ſacras titulis pia ſigna cohortes
Diſtinguant, ſanctoque notent tetragrammate turmas;
Ieſu, certa nimis vincendi teſſera nomen.
Nomine ſeruator quo poſt dicendus, eodem
Seruatus, furvum impleuit formidine Ditem.
Accedit victor, cui mox vrbs accidat omnis,
Nec ſolitò, inſoliti ſic poſcit pompa triumphi,
Iam portas ſolùm, ſed & ardua mœnia pandat;
Succedant ſpolia & gazæ fugientis Idumes,
A tergo tantùm cujus trepidantia caſtra
Vidit, vt obſequium fieret ſpoliare fugaces;
Nempe fugâ, poſitis certabunt fortiùs armis.
Prædonem miles timidus, non prouocat hoſtem.
Occurrat ſpecies prima inter fercula Sinæ
Montis, vbi empyreus vixit cum Moſe Pyrauſta,
Intactus flammis. Fixâ ſtatione recedunt
Naturæ Iura; vt Divûm ne legibus obſtent.
Quas dederat Moſes, Ioſuë ſeruare ſategit.
Deîn premat immanis botrus, tergoque ferentûm
Nutet ad oſtentum. Poſt quadragintà diebus
Confectum annorum tot iter, tellure gigantum,
Quâ ſimilem dederant magnis frugem arua colonis,
Meſſuit hic omnes maior: cùm rure colonos.

Hinc

Hìnc capita in contis Henacim præfixa gigantum,
Queîs vis perniciem fecit, roburque ruborem.
Sola animos virtus, non vis, creat eſſe viriles.
Poſt ingens lapidum plauſtro ſpectetur aceruus,
Jngrata ingratis monumenta; ferè exanimatur,
Cùm timidos animat, trepidantûm audacia tanta eſt.
Deîn Madianitæ, quos ablegauit in orcum,
Moſis ad inferias: niteant illata trophæa
Præſtigijs quondam ſtolidi maculata prophetes;
In medioque caput Balaäm, protenſaque lingua,
Olim, execrari cùm vellet, ſacra locuta,
Iumento magè veſana. Et Jordanis imago,
Si fieri poſſit, ſubeat, veneretur vt arcam,
Delatam à myſtis, myſteria ſacra ferentem,
Stet, fugiatque, metum dubitans ïnterque ſtuporem.
Euerſas præeat Hiericho vrbes prima, tubarum
Conturbata ſono, Ioſuë pæana canentem,
Exſultantemque tremat, felici marte redactæ
In cineres vaſtis referant ſua buſta ruinis,
Quod facit ad pompam, viuant in imagine tantùm.
Hic ſæuire neceſſum erat, aut ſeruire coacto.
Ante faces currum ſint ſol & luna, gradarîj
Quondam, ſtatarij Ioſuës ad luſſa planetæ:
Atque ſecuta ſuos fidâ ſtatione tribunos,
Subque ſuis ducibus quoque relliqua ſidera adorent.
Imperium mundo maius venerantibus aſtris
Protendit ductor, fugitiuaque ſtare coëgit
Tempora, & inceptis lucem ſeruire triumphis,
Equè ſolo, adſtrinxit Solis moderatus habenas.
Seruilis Gabaön currum trahat, inque cataſtis
Turpè innodatus, pompæ præludat equeſtri;
Nam vitam pacti, in lucro poſuêre catenas.
Jmmineat curru turrito victor, & hæres
Illuſtri Moſis diademata vertice vibret,

Vt noctem illuſtret, liuorem excæcet, & inde
Excipiant tribuum, nullo excedente Iuuentam
Auroque, & lauro cinctæ frondente phalanges;
Hic ſolus Joſuë, de tot migrantibus vnus,
Cumque Caleb, ſedes Iudæis fixit in aruis.
Longinquo optatam figens in limine metam.
Arce triumphali faſtigia ſumma loquantur:

VIRGINEO DICTATORI,
PATRIÆQVE PARENTI,

Et magno Seruatori, ſeruatus, Iëſu,
Atque Palæſtinas populus perlatus in oras.

Hic trigintà tribus cantu, ferro, igne tyrannis
Proſtratis totidem diuiſit regna tributìm,
Summóque in Silunte Deo ſanctuâria ſanxit,
Nulla quies illi, donec Deus ipſe quieuit;
Et toto pacem ſolidam ſtabiliuit in orbe.
Poſt incredibiles operas, vitæque labores,
Æternâ demùm compôſtus pace quieuit,
Hebræus memori gratus cum plebe Senatus
Perpetuum digno monumentum ſcripſit in arcu.



SAMSON,

SAMSON,

Ex Dano.

IDÆA.

HVc iuuenes, quibus eſt robur, feruenſque cupido,
Idæam dabimus Samſona vtriuſque furoris:
Alcidi parilem, parilique à robore fortem,
At mox mancipium, ſtolido aſſimilatus amori,
Nudatur cæcus, ſterili de germine prodit,
Prodigio æquali, quo Iacob natus & Eſau,
Et bonus & malus eſt, vnus confundit vtrumque.
Nazareuſque Deo teneris ſacratur ab annis,
Cui nomen flores fecêre, offerre iuuentæ
Nempe Deo flores gratum eſt; dat munus auarum,
Qui ſerum autumnum profert. Temeta tumentem
Ne faciant, puro ſitientes fonte iubetur
Fauces fraudare, vt vultus cum lympha bibentis
Reddit, ſe noſcat, numquamque ſibi excidat ipſe.
Diuino puer afflatus fit robore fortis,
Nam mage nil hoſtem, quàm inſons infantia, terret,
Sed quod robur habent tenues agitabile crines,
Oſtendit quàm ſit iuuenum fiducia inanis,
Pendeat & filo tenui: validoſne lacertos
Iactas? ſunt nimiæ, taurorum gloria, vires,
Ipſe tui potiùs vide ne ſis roboris impar:
Hoſpitis iſta tui vis eſt, & carceris, an non
Fortia queîs caperis veſanè vincula iactas?
Quod magnum eſt in te, te contra eſt robur in hoſte.
Hoſtilem in cædem ſacratus, in ardua fertur,

Acriter

Acriter aduerſum cœpitque odiſſe Philiſtiim,
Vnà & amare Philiſtæas, odiumque in amore
Exacuens, geminâ metuentes territat irâ.
Cumque incircumciſa Deus connubia firmat,
Cedit amori Mars, facibuſque cupidinis ardet.
Qui fuit Alcidi immanem ſuperare leonem,
Samſonis labor eſt primus, victoria ſed pòſt
Dulcior, exuuias inter ſpoliumque ferinum,
Condita mella legit, ſæuique leonis hiatus,
Atque ſepulchrum hominum, lato ore aluêaria pandit;
Blanditijſque minæ, feritas dulcedine verſa,
Suſpendit totam contexto ænigmate menſam,
Conuiuę obſcurum fruſtrà illuſtrare laborant,
Sphingem adeunt, prodit coniux malefida maritum.
Jnde labor nouus, expôſtumque hac fraude problema
Perſequitur vindex, pretiumque vt ſoluat amarum,
Percuſſos ſpoliat triginta è gente Philiſtijm,
Et ſpolijs auidos hoſtilibus induit hoſtes.
Corporis ingenio vincuntur robore fortes,
Atque dolos ſequitur dolor. Exinde hydra malorum
Sed noua ſe tollit, vindictam iniuria poſcit,
Illam vindicta, & cognatam vlciſc itur vxor
Perfida adulterijs cædem: vulgaſſe mariti
Secretum nîl mirum, auſa eſt vulgare ſeipſam.
Nîl habet arcanum, cui nil eſt femina ſanctum.
Ter centum vulpes ſuccenſis faſcibus armat,
Principio luſus, mox flebilis exitus aruis;
Curſim per ſegetes ignes animantia ſpargunt,
Cum flammiſque famem. Non talis Sirius vnquam
Supplantauit agros; adoletur adultera thure hoc,
Vt Cereris facibus Junonem viſat Auernam,
Vulpina ingenia, & vulpina incendia plectant.
Inde Philiſtijm, perfidiâ ſocialis Jüdæ,
Traditur vt Chriſtum aſſimilet, vincliſque repentè

Liber

Liber, mandibulâ cataphractos frangit aſellâ,
Vilia nulla manu ſunt tela intorta virili:
Clara ſimùl duo committit miracula clauа,
Victori fontem, victori tela miniſtrans;
Quam fudit, ſaniem emaculat. Samſona beatum,
Si non manſiſſet poſt inclyta facta ſuperſtes!
Deſtituit tantum fugiens ſua gloria robur,
Infamíque ingens turbata libidine fama.
Herculeus nónne ille labor? complexibus hærens
Gazæi ſcorti, ſpurco illaqueatus amori,
Nequîcquam inſidijs præda intercepta Philiſtîim,
Apprênſus ceu Rhinoceros gremióque puellæ,
Quod damnes, impuræ: inopinus at exitus inſtans
Exitium declinauit, niſúque reuulſis
Felici, liber, ſolidæ compagibus vrbis,
Aſportanſque fores foris, vrbemque extulit vrbi.
Quæ blandè alliciunt, auidæque vorare vocatos,
Sic fugiat ſemper Sirenes; at impos amoris,
Inceptos mutat, neſcit vitare labores.
Omphale imperio facta eſt huic Dalila maior:
Fortior Alcide, at quoties vincendo reſiſtit,
Femineus toties, magis ancillando probatur.
Ergò Philiſtini oblato vt muliercula fallat,
Inducunt auro, quo decolor îlicet omnis
Aſſolet eſſe fides; ſi vinci, & quomodo poſſit,
Exploret, ſed enim dominam quid celet amator?
Vt Martem capiant, Venerem captare doloſi.
Nonnihil ille preces hoſtilis ludit amicæ,
Cùm differt, neruóſque rudes, clauóſque trabales
Diffringit, ſemper captus, liberque, ſolutus
Idem vinctúſque: at quæſitor femina ſolers,
Quamquam importuna eſt, blandè torquendo latebras
Extorquet, ſacrum ſeruare vt neſcia, perdat.
Difficile euades, cùm apparitor ipſe cupido

Perſe-

Mendaci credens, pelagus cum pallida turba
Indagat rubeum, fortis freta concita riſit,
Nempe Deo fretus, mens & fiducia tanta,
Cæleſtem vt genium præcurrat. Nil duce tantus
Dux eguit; ſectum mare, tranſgrediente Naäſon,
Attonitum ſtetit, & cælo legata columna
Pone aciem ceſſit, dux cælo audentior ipſo,
Securuſque ſui cæleſtia ſigna præiuit.
Dux quantus Naäſon! reuerentibus ambulat vndis,
Aſſurgunt fluctus, aqueum velut vndique ſtipat
Cœmentum, ſolidi fert ſe trans æquoris ima,
Pro fluctu terram calcat, pro littore fluctus;
Fortè ſuo ſtolidas ſolidauit robore lymphas.
Stantem vndam, potiúſne ducem mireris euntem?
Principis obſequium grande eſt, mirabile ponti
Officium, veluti ſupplex ſubſternitur æquor;
Indomitumque ſalum virgâ tingente domatur,
Vaſtúſque exili ligno ſtat fluxus aquarum.
Æquoreos ne finge Deos, validumque tridentem.
Hic pontum ædificans, poſitis altrinſecùs omne
Mœnibus inueſtit vulgus, ſtagnoque coactum,
Adſtringit pelagus, vehitur ſine nauita naui,
Profundo altior, & venerantibus imperat vndis,
In medióque mari caſtris complanat arenam,
Vtque nouo venturum hoſtem ſtratagemate vincat,
Aduentans agmen ſuperacto flumine mergit.
Veſtiat vt meritò regalis purpura Naäſon,
Primus purpureum ſubijt mare. In ardua, princeps,
Sis prior exemplo; quæ præcipis, incipe primus.

SALMA,

Naäſonis filius.

GRATVLATIO.

GRatulor ô Salma, dux feliciſſime, grator,
Tu populo erranti deſerta per auia cæco
Ortus(deſerto ſed nîl fœcundius iſto),
Vix natus, peregrinatus, natalia ſpernens,
Exilium patriis coluiſti paſſus in oris,
Patriam in exilio, clara incunabula ſtipans,
Gratuler vnde magis, cælum trans fulgura legem,
Et ſua iura dabat, cælo cognatus in auras
Prodîſti aërias, cui lex, cognatáque Jura,
Vt iuſtum mundus veneretur; fulgura, luſus,
Et cæli murmur, modulos, tonitrúque verendum,
Luſiſti in cunis, altóque crepundia poſcens,
Quæ paſcant fruitus cæleſtia ſidera alumnus:
Manna tibi pia mamma fuit, dulcedine morum
Suâuia poſt animis alimenta elementa profeſſo.
Profuit eſca viæ dulcis, via donec acerba,
Pro lare terra vaga, & largum, penuaria, cælum
Obtulit, aſſiduo cælorum agitatus ad inſtar,
Nîl motus, totidem annis quadragintà dierum
Produxiſti iter. Inſanæ blaſphemia plebis
Obſuerat, paſſi[illegible]inguâ pedibúſque vagantes,
Non rectàque prius, quam recto inſiſtere, nôrant.
Fors Peripatetices exin primordia claſſi,
Inceſſu vt pariter veniat ſapientia lento.
Anguineos ignes, ſeu ignitos dixeris angues,

Lubrica tartarei Salamandræ germina, nati
Serpentes, linguíſque phalanx armata triſulcis,
Pœna æqua, veſana vt murmura, ſibila plectant,
Et linguæ tollant linguas, furiæque furorem.
Has victor reſtinxiſti, prece ſupplice, peſtes,
Orator fortis ſtygios ſopire dracones;
Nulla magis prompta eſt, nulla excantatio maior;
Qui linguas mulctant, pereunt linguæ anguibus angues,
Fortior eſſe ſolet, ſuauíſque reciproca pœna.
Macte animis, Heros, media inter funera ſolus
Obdurantem animam exerces; & fata coërces:
Jám ſocia è Lybicis gens omnis transfuga terris,
Tolle vnum aut alium, antè viæ confecta labore,
Quam confecit iter, cecidit, populoſa fuêre
Cribri inſtar, cunis deſerta quot aucta ſepulchris,
Peſſima dum perdunt, equidem meliora dederunt;
Altera gens inijt, gens altera prodijt inde,
Aſt quantæ virtutis honos, animique poteſtas!
Totam aciem ferri vna acie tutatus in hoſtes
Primus fers, atque arma refers victricia primus,
Et triginta tribus proſtratis regibus, annos
Prænumeras totidem Meſſiæ, fama perennis
Succenſæ Hierichontis erit, progreſſus in vrbem,
Orans, explorans, cùm vinci poſſe videres,
Viciſti actutum, Raab ſeruata reſarcit
Coniugij legem, hoſpitio comperta fidelis:
Quæ ſeruatorem meretrix meritiſſima gignat;
Cuius ſeruauit patres, Tu ſoſpes, & hoſpes
Optatas Iſrâel duxiſti ſoſpitem in oras,
Promiſſæ patriæ pater; at fors palma parenti
Metam vt perciperet, qui ſe præmouerat antè,
Hæc debebatur; meliùs partita niteſcet:
Sic viſum ſuperis, diuiſiſque ambo trophæis
Gloria tu patris, generoſi is gloria nati.

Hic

Hic quidem Erythræum quondam peruaſerat æquor,
Iordanem tu tentaſti, non degener vno hoc
Paſſibus, atque animis paribus, cedentibus vndis
Nudatóque vado; virtuti cedere dudum
Vnda mari docilis didicit. Fortiſſime ductor,
Sudores lympha hæc tergat, frontemq́ue ſerenam,
Vocalis ripis Iordanis canna triumphos
Buccinet, éque malis ſuperatis poſt mala gaude,
Verſatumq́ue animo memori indulceſcat amarum.
Delicijs, Salma, fruere, inuictiſſime partis,
Afficiatq́ue aures, oculos quòd terruit olim.
Te debellare, & bellari eſt auſpice cœptum,
Et quiuis hoſtis ceſſit, niſi fortè receſſit;
Te reduci centum duce Iuda eſt vrbibus aucta.
Admonitíque tuo vacuas dimittere ſedes
Indigenę gladio, impleuerunt Tęnara Ditis.

IOSVË

Ex Ioſeph.

TRIVMPHVS.

PRæclaros Ioſues hùc inſtrue Silo triumphos;
Ante tubæ Hierichô lætis accentibus auras
Impellant; ſacras titulis pia ſigna cohortes
Diſtinguant, ſanctoque notent tetragrammate turmas;
Ieſu, certa nimis vincendi teſſera nomen.
Nomine ſeruator quo poſt dicendus, eodem
Seruatus, furvum impleuit formidine Ditem.
Accedit victor, cui mox vrbs accidat omnis,
Nec ſolitò, inſoliti ſic poſcit pompa triumphi,
Iam portas ſolùm, ſed & ardua mœnia pandat;
Succedant ſpolia & gazæ fugientis Idumes,
A tergo tantùm cujus trepidantia caſtra
Vidit, vt obſequium fieret ſpoliare fugaces;
Nempe fugâ, poſitis certabunt fortiùs armis.
Prædonem miles timidus, non prouocat hoſtem.
Occurrat ſpecies prima inter fercula Sinæ
Montis, vbi empyreus vixit cum Moſe Pyrauſta;
Intactus flammis. Fixâ ſtatione recedunt
Naturæ Iura; vt Divûm ne legibus obſtent.
Quas dederat Moſes, Ioſuë ſeruare ſategit.
Deìn premat immanis botrus, tergoque ferentûm
Nutet ad oſtentùm. Poſt quadragintà diebus
Confectum annorum tot iter, tellure gigantum;
Quâ ſimilem dederant magnis frugem arua colonis,
Meſſuit hic omnes maior cùm ture colonos.

Hinc

Hinc capita in contis Henacim præfixa gigantum,
Queîs vis perniciem fecit, roburque ruborem.
Sola animos virtus, non vis, creat eſſe viriles.
Poſt ingens lapidum plauſtro ſpectetur aceruus,
Jngrata ingratis monumenta; ferè exanimatur,
Cùm timidos animat, trepidantûm audacia tanta eſt.
Deîn Madianitæ, quos ablegauit in orcum,
Moſis ad inferias: niteant illata trophæa
Præſtigijs quondam ſtolidi maculata prophetes;
In medioque caput Balaàm, protenſaque lingua,
Olim, execrari cùm vellet, ſacra locuta,
Iumento magè veſana. Et Jordanis imago,
Si fieri poſſit, ſubeat, veneretur vt arcam,
Delatam à myſtis, myſteria ſacra ferentem,
Stet, fugiatque, metum dubitans ïnterqueſtuporem.
Euerſas præeat Hiericho vrbes prima, tubarum
Conturbata ſono, Ioſuë pæana canentem,
Exſultantemque tremat, felici marte redactæ
In cineres vaſtis referant ſua buſta ruinis,
Quod facit ad pompam, viuant in imagine tantùm.
Hic ſæuire neceſſum erat, aut ſeruire coacto.
Ante faces currum ſint ſol & luna, gradarij
Quondam, ſtatarij Ioſuës ad luſſa planetæ:
Atque ſecuta ſuos fidâ ſtatione tribunos,
Subque ſuis ducibus quoque relliqua ſidera adorent.
Imperium mundo maius venerantibus aſtris
Protendit ductor, fugitiuaque ſtare coëgit
Tempora, & inceptis lucem ſeruire triumphis,
Equè ſolo, adſtrinxit Solis moderatus habenas.
Seruilis Gabaön currum trahat, inque cataſtis
Turpè innodatus, pompæ præludat equeſtri;
Nam vitam pacti, in lucro poſuêre catenas.
Jmmineat curru turrito victor, & hæres
Illuſtri Moſis diademata vertice vibret,

Vt noctem illuſtret , liuorem excæcet , & inde
Excipiant tribuum , nullo excedente Iuuentam ,
Auroque, & lauro cinctæ frondente phalanges ;
Hic ſolus Joſuë, de tot migrantibus vnus ,
Cumque Caleb , ſedes Iudæis fixit in aruis.
Longinquo optatam figens in limine metam.
Arce triumphali faſtigia ſumma loquantur :

VIRGINEO DICTATORI, PATRIÆQVE PARENTI,

Et magno Seruatori, ſeruatus, Ieſu,
Atque Palæſtinas populus perlatus in oras.

Hic trigintà tribus cantu, ferro, igne tyrannis ·
Proſtratis totidem diuiſit regna tributìm ,
Summóque in Silunte Deo ſanctuâria ſanxit ,
Nulla quies illi; donec Deus ipſe quieuit;
Et toto pacem ſolidam ſtabiliuit in orbe .
Poſt incredibiles operas, vitæque labores,
Æternâ demùm compôſtus pace quieuit ,
Hebræus memori gratus cum plebe Senatus
Perpetuum digno monumentum ſcripſit in arcu.

SAMSON.

SAMSON,

Ex Dano.

IDÆA.

HVc iuuenes, quibus eſt robur, feruenſque cupido,
Idæam dabimus Samſona vtriuſque furoris:
Alcidi parilem, parilique à robore fortem,
At mox mancipium, ſtolido aſſimilatus amori,
Nudatur cæcus, ſterili de germine prodit,
Prodigio æquali, quo Iacob natus & Eſau,
Et bonus & malus eſt, vnus confundit vtrumque.
Nazareuſque Deo teneris ſacratur ab annis,
Cui nomen flores fecêre, offerre iuuentæ
Nempe Deo flores gratum eſt; dat munus auarum,
Qui ſerum autumnum profert. Temeta tumentem
Ne faciant, puro ſitientes fonte iubetur
Fauces fraudare, vt vultus cum lympha bibentis
Reddit, ſe noſcat, numquamque ſibi excidat ipſe.
Diuino puer afflatus fit robore fortis,
Nam mage nil hoſtem, quàm inſons infantia, terret,
Sed quod robur habent tenues agitabile crines,
Oſtendit quàm ſit iuuenum fiducia inanis,
Pendeat & filo tenui: validoſne lacertos
Iactas? ſunt nimiæ, taurorum gloria, vires,
Ipſe tui potiùs vide ne ſis roboris impar:
Hoſpitis iſta tui vis eſt, & carceris, an non
Fortia queîs caperis veſanè vincula iactas?
Quod magnum eſt in te, te contra eſt robur in hoſte.
Hoſtilem in cædem ſacratus, in ardua fertur,

Acriter

Acriter aduerſum cœpitque odiſſe Philiſtiîm,
Vnà & amare Philiſtæas, odiumque in amore
Exacuens, geminâ metuentes territat irâ.
Cumque incircumciſa Deus connubia firmat,
Cedit amori Mars, facibuſque cupidinis ardet.
Qui fuit Alcidi immanem ſuperare leonem,
Samſonis labor eſt primus, victoria ſed pòſt
Dulcior, exuuias inter ſpoliumque ferinum,
Condita mella legit, ſæuique leonis hiatus,
Atque ſepulchrum hominum, lato ore aluêaria pandit;
Blanditijſque minæ, feritas dulcedine verſa,
Suſpendit totam contexto ænigmate menſam,
Conuiuę obſcurum fruſtrà illuſtrare laborant,
Sphingem adeunt, prodit coniux malefida maritum.
Jnde labor nouus, expôſtumque hac fraude problema
Perſequitur vindex, pretiumque vt ſoluat amarum,
Percuſſos ſpoliat triginta è gente Philiſtîjm,
Et ſpolijs auidos hoſtilibus induit hoſtes.
Corporis ingenio vincuntur robore fortes,
Atque dolos ſequitur dolor. Exinde hydra malorum
Sed noua ſe tollit, vindictam iniuria poſcit,
Illam vindicta, & cognatam vlciſc itur vxor
Perfida adulterijs cædem: vulgaſſe mariti
Secretum nîl mirum, auſa eſt vulgare ſeipſam.
Nîl habet arcanum, cuî nil eſt femina ſanctum.
Ter centum vulpes ſuccenſis faſcibus armat,
Principio luſus, mox flebilis exitus aruis;
Curſim per ſegetes ignes animantia ſpargunt,
Cum flammiſque famem. Non talis Sirius vnquam
Supplantauit agros; adoletur adultera thure hoc,
Vt Cereris facibus Junonem viſat Auernam,
Vulpina ingenia, & vulpina incendia plectant.
Inde Philiſtijm, perfidiâ ſocialis Jüdæ,
Traditur vt Chriſtum aſſimilet, vincliſque repentè

Liber

Liber, mandibulâ cataphractos frangit aſellâ,
Vilia nulla manu ſunt tela intorta virili:
Clara ſimùl duo committit miracula claua,
Victori fontem, victori tela miniſtrans;
Quam fudit, ſaniem emaculat. Samſona beatum,
Si non manſiſſet poſt inclyta facta ſuperſtes!
Deſtituit tantum fugiens ſua gloria robur,
Infamíque ingens turbata libidine fama.
Herculeus nónne ille labor? complexibus hærens
Gazæi ſcorti, ſpurco illaqueatus amori,
Nequîcquam inſidijs præda intercepta Philiſtîim,
Apprênſus ceu Rhinoceros gremióque puellæ,
Quod damnes, impuræ: inopinus at exitus inſtans
Exitium declinauit, niſúque reuulſis
Felici, liber, ſolidæ compagibus vrbis,
Aſportanſque fores foris, vrbemque extulit vrbi.
Quæ blandè alliciunt, auidæque vorare vocatos,
Sic fugiat ſemper Sirenes; at impos amoris,
Inceptos mutat, neſcit vitare labores.
Omphale imperio facta eſt huîc Dalila maior:
Fortior Alcide, at quoties vincendo reſiſtit,
Femineus toties, magis ancillando probatur.
Ergò Philiſtini oblato vt muliercula fallat,
Inducunt auro, quo decolor îlicet omnis
Aſſolet eſſe fides; ſi vinci, & quomodo poſſit,
Exploret, ſed enim dominam quid celet amator?
Vt Martem capiant, Venerem captare doloſi.
Nonnihil ille preces hoſtilis ludit amicæ,
Cùm differt, neruóſque rudes, clauóſque trabales
Diffringit, ſemper captus, liberque, ſolutus
Idem vinctúſque: at quæſitor femina ſolers,
Quamquam importuna eſt, blandè torquendo latebras
Extorquet, ſacrum ſeruare vt neſcia, perdat.
Difficile euades, cùm apparitor ipſe cupido

Perſè

Perſequitur, facibuſque ſuis abſcondita tentat.
Decipiens in decipulas & retia ſenſim
Deſcendit, nimiumque ſuos ne attriſtet amores,
Crinibus implicitam virtutem haud ſuſtinet vltra
Celare, illa comam radens vim diſſipat omnem;
Sternitur ille lupâ, qui ſtrauerat ante leones,
Cogitur eneruis neruos & vincla ſubire,
Orbaturque oculis alienâ fronte crematis.
Oedipus ex Alcide dein, frugeſque terendo
Conteritur, ſeſe miſerum quod non videt, vno hoc
Felix, bis felix, cæcus ſua crimina ſpectat.
Cùm redit ad numen, redeunt ſua robora Samſon,
Cumque nouo creſcit mens ante reſecta capillo.
In Veneris iuſſus templo ſimulare Cyclopem,
Nec laruæ indigus, amplexis labefacta columnis,
Templa adigit, preſsâ cunctos ſepelire ruinâ.
Cumque actore ſuos perimunt ſpectâcla tuentes.
Sic inter cecidit laudes, interque trophæa,
Tam felix odijs quàm infauſtus amoribus olim.
Hoc tamen egregium, quod tandem perdidit illam,
Quâ perdebatur dudùm, & moriendo Dionen
Jn templo oppreſſit, cuius fraudeſque doloſque,
Serò quidem, & fruſtrà cæcus ſine lumine vidit.
Ne paritèr ſerò videas, Samſona videto.

BOOZ

BOOZ,

Salmæ filius.

OBED,

Boozi filius.

MYSTERIVM.

EX Moab Rutham, Raabâ Cananitide natus,
Vxorem ducens,geminat myſteria Booz;
Quod mirum, meretrice ſatus caſtiſſimus ille,
Quod rarum, ærato coniux paupercula nupſit.
Quod mirêre magis, cæli, rerumque peritus,
Tranſgreditur legem, cumque id ſit numine cautum,
Vt ne alienigenûm thalamis iungantur Hebræi,
Ne populis gens naſcatur ſacrata profanis,
Obſcurum matris natalem, vxore alienâ,
Continuans Booz, cùm diuerſâque tribuli
Filius,& coniux gemino ſe fœdere nectit,
Datque alienigenis, & natus lege vetante,
Contra ipſam gignit. Sed quòd fas omne repellit,
Meſſiæ in faſtos hymenæus vterque nefaſtus
Inſerpens, tedæ fumo tam nobile ſtemma
Illicitæ Obſcurat. Sed quot myſteria Diuûm
Hi thalami inuoluunt! Interpres callidus altæ
Ingeniumlegis, quamuis à lege recedens,
Aſſequitur Booz. Booz, ſynagoga meretrix,

Cæle-

Cæleſtem, terris venturo tempore gignet;
Sancta, alienigena licèt, huic eccleſia nubet.
Hanc Rutham meritò dicas, Raâb illa vocetur.
Diluet is ſponſam, veteri quæ perlita cœno,
Perditáque accedet, ſacris & frugibus altor
Excipiet, ditans, dotanſque, famemque leuabit,
Virgineis cæli dapibus, pedibuſque iacentem
In ſolium tollet. Lætante hæc matre Nöema
Vicinis circum plaudentibus, edet Obedum,
Fœcundam ſobolem. Morietur quippe redemptor?
Chriſtiadûmque genus ſurget, ſuperûmque voluptam,
Delicias Diuûm renouatus proferet orbis.
Dum pergis, tacitus, ſerua hæc arcana, viator.

GEDEON,

GEDEON,

Ioſephi Nepos.

ARGVMENTVM.

QVid cytharæ aucupijs diſtendis inanibus aures?
Huc Orpheû, lictóque Hebro, diuerte ad Hebræos.
Hymni argumentum magni dabit altius heros
Jnuictus, Gedeon; numeris hûc carmina pange
Innumeris, non æquabunt præconia laudem.
Nec modò jam terras, nemorúmque morabere ſaltus;
Aëreumùe pecus; cupidæ tua cantica poſcunt
Empyreæ volucres, cæloque heroä receptum,
Buccinet expectant non immemor vndique mundus.
Poſt vitia, emeritæ virtutis pange trophæa,
Concentum faciunt mixtìm contraria ſuâuem.
Nîl blandire, fiet Gedeon ignavus & excors;
Ilicet & tremuit vexilla trementia pridem,
Oppoſuitque fugam telis hoſtilibus; altam
Segnitiem, impietas vicit, nihil audijt, ipſum
Promittens numen victricia bella, fidemque.
Abnuit. Vt maiora fide miracula ſurdam
Euincant mentem, flammæ legantur & imbres,
Vt dignus ſapiat monitore auditor vtroque,
Cum malit proprios præ cœlo credere viſus.
Obrue dedecora hæc, fiatque antiſtropha virtus,
Et plaudens laudi prudentia crimina vertat.
Occine, vt aduerſum Madian hortatus Olympo
Egreditur, Moſes quos protinùs obruit olim,
Nî teſtes eſſent tumuli, vixiſſe negares.

Diſparent equidem, pereunt mala gramina nunquam.
Ex trepido intrepidus, qui formidauerat, omnes
Prouocat, è myſtâ fit miles, cultor, & vltor
Numinis, & cultrum ſanctè, dum fortiter enſem
Vibrat, & extinctæ pietatis buſta reuiſens,
Suſcitat, occidendo malos, quin nomine verſo,
Jero-Baâl, Ditem euertit, fucoſque, focoſque,
Exermeſque Deos, & inanes Numinis aras:
Accipe, quàm paruo numero, tanta agmina fundit,
Milliaque ex Madiàn centum triginta, trecentis
Mactè viris mactare offert: ne ignauia turbas,
Turba fugam augeret, vel certò jura teneret
Militiæ tam rara manus; prætentat aquando
Magnanimûm vires, proni qui flumina lingunt,
Abijcit, aſſumit, dextrâ qui flumina ſumunt.
Arcentur bello, queîs ſolo eſt robur in ore,
Et nullum manibus. Graditur lectum agmen in hoſtes,
Stant acies, pugnantque tubis, reſonantque triumphos,
Dum pugnant; (ſocij tanta eſt fiducia cœli)
Et facibus gladijſque nitent; cùm dimicat, alma
Nempè micat virtus, ſtolidùmque ſtupente ſtolatas
Ad turmas Madian, dum certas auſpice ſigno
Exequias refugit, clangore & luce coruſcâ,
Vincendi æs, gladius cædis, fax funeris omen;
Lymphati terrore animos, errore feroces,
Terrigenæ vt fratres, per mutua vulnera cęſi,
Ciuilique cadunt acie. Sic nempe malorum,
Cùm ceſſat, demùm mala fit concordia diſcors.
Cladem illi tulerunt; cædem ſocia arma tulêre.
Poſtquam aciem totam fermè ſine cæde, cecidit,
Jnuictus ductor, quos fugerat antè, fugando
Perſequitur, regeſque duos dare colla ſecuri
Captiuos cogit, qui dum puerile recuſant
Ferrum indignantes, propriâ vi ſternit & enſe

Dignatus

Dignatus Gedeon. Victoris gloria quanta!
Nam reges etiam facit occidendo ſuperbos.
Seruatiſque ſuis excidit ſtirpitùs hoſtem.
Sic poſcebat opus, pereunt ſub vindice verè
Hoc Madianitæ. Nunquam meliora fuiſſent
Tempora, ſin homines mutati. Nulla profana
Fana tulit ſacer, idolum non perſtitit vllum,
Dum ſtaret Gedeon. Rurſumque antiſtropha claudant
Lætitiam ingentem conuerſo cantica leſſu,
Lugubre Epos, ſeptuaginta vnâ prolibus auctus,
Tot palmas inter, felix, ſi prole careret,
Saltem vnâ. Abimelec tanto patre degener ortus,
Proderet vt patriam, veritus nîl perdere fratres,
Quod rapuit, ſceptrum rexit, fecitque paternis
Manibus inuidiam, ipſe bonis inuiſus, & atris
Turpe notis natus patrios infecit honores.
Aduerſuſque Deum cum Baal fœdera iungens
Reſtituit, quæ Ierobaâl idola reuulſit,
Cunctorum deſtructor, quæ pater ante patrauit,
Ad fratres vſque. Hîc modulos ſuſpiria rumpant;
Humanis luctus extinguunt gaudia rebus.

IEPHTE,

Ioſephi Nepos.

MONVMENTVM.

QVi legis hæc, luge, miſeranda memoria Iepthes
Ex Galaâd, nimiùm funeſtam hîc imbuit aram.
Ille Deo ſatus inuito, qui nempè probroſo
Natus adulterio, non vixit legibus vllis,
Contra legem ortus, fratrum meliore repulſus
Conuictu, inter latrones, tantóque profectu,
Vt fieret princeps, egit. Quippè illa palæſtra
Deſcenſu attollit facili, formatque magiſtros.
Ære ſuo leuis, accerſit preſſos alieno,
Ne ſoluat rapiens, peccans, ne crimina pendat,
Confidenſque animis, quantùm temerarius armis,
Delicias fecit prædæ ſua prædo perîcla.
Infeſtis Galaâd armis cùm ſterneret Ammon,
Ad profugum trepidans confugit patria Iephten.
Vtroque immodicum, varium & mutabile vulgus,
Noluerant ciuem, patrem, regémque ſalutant.
Is patriæ dudum exutus, non filiæ, amorem,
Vna erat illa domus tota, huîc vt gloria, dóſque
Accreſcant, totâ ſe belli mole grauauit.
Regia de pacto pugnæ fuit infula pignus;
Tergendo ſed enim ſudori linthea belli
Commoda nulla magis. Sine regno bella prehendit,
Vt ſubeat regnum ſine bello, ac auſpice voto
Supplex aggreſſus purúmque piumque duellum,
Si vincat, ſpondet reduci primo obuium, vt arrham,
Sacrificare aris. Sed quàm crudelior hoſte,
Incautis votis quàm deſtinat, hoſtia fiet!

Sim-

Simplex impietas, pietas improuida patris!
Propitio, dic, annè irato numine? vicit;
Et qui nec pacem, nec bella parauerat Ammon,
Momento obrutus eſt. Viginti attingere cœpit
Obſidione vrbes, & cepit: gloria longos
Victori luctus properabat. Lætus ouantem
In patriam, votique reus remeauerat, ecce
Prodijt ante fores ſocijs ſtipata choreis
Vnica nata, patris carum, quia ſola, leuamen,
Lætitiam mortemque canens, ignaráque luſit,
Et flendos inter feſtiuùm victima plauſus
Exultans, fatis propiùs tulit obuia greſſus.
Luctandum cum naturâ, qui vicerat hoſtes;
Ingentem traxit ſecum victoria cladem:
Hic ſpecies omnis lauri; & ſpes verna triumphi
Elanguît, nimium expreſſà conuerſa cupreſſo.
Victori hunc potuit finem vouiſſe vel hoſtis.
Nempè inter pompam, denſas cæſi agminis vmbras,
Ipſa cruentatos veniet quoque filia vultus.
Amplexus arctans genitor dedit oſcula natæ,
Ceu niueo ſupremam animam legiſſet ab ore,
Vicimus ô inquit, ſtetit at victoria carò,
Te voui pretium genitor victricibus aris.
Non vitam, fortis ſpatium heroïna rogauit,
Vt ripas repleat virides, amneſque querelis,
Et ſurdas cautes pulſet, gemitúque bimeſtri,
Ipſa ſibi fiat lugubri Præfica fletu,
Officium anticipans. Caſtum ergò datura cruorem,
Funeſto tandem obſequio ſe victima ſiſtit,
Imperio imprudens æquè parere puella,
Quàm voto genitor. Fortè ignorantia myſtæ
Culpam vtriuſque leuare queat; tremulúſque miniſter,
Fortis & infelix, & pluſquam femina virgo
Nîl concuſſa ſtetit, dudùm quin antè gemendo,

Abſumpſit luctus, quos auxerat ille premendo.
Jam paſſim cunctique oculis linguiſque fauebant,
Et Juuenum vultus defixi in virginis ora;
Condecuit ſpeciem robur, mouet acrius iſta,
Cùm deſperatur, maiorque cadendo videtur,
Sol velut occiduus. Cælum ſpectata virago
Et ſparſi lacrymas vulgi, quas ipſa tenebat,
Orbandúmque patrem, & ferrum generoſa tuetur,
Gemmantes circúmque oculos, adamantina, forti
Pectore confirmat. Flens, inuitúſque ſacerdos,
Dum patrij affectus, & votis vota repugnant,
Compôſtam morti intuitus, ſæuûmque morantem
Officium, inuictum iugulum libant ſecuri,
Vdam hæc truncato poſſedit corpore terram:
Semianimis ſuper exanimem prolapſus Jëphte,
Accepto longam protraxit vulnere mortem.
Virgineum corpus mundiſſima flamma vorauit,
Quòque ferebatur, cæleſtibus intulit oris,
Trans cælum vt terris iret conſtantia maior.
Puniceo fudit cum ſanguine lilia virgo,
Flora vt virgineis numquam ſterileſceret aris.
Fortiter, omnia, ſi ſpectes, ſanctéque peracta.
Fecerunt modulis ludi ſuſpiria mixtis,
Innumeri numeros gemitus rupêre canentum.
Hunc belli impoſuit finem, iam fractus Jëphte,
Prædo nimis largus, doctus pugnare, vouere
Indoctus. Trepidæ ne poſthàc vota parentum
Exitio implectant ſimili, immortalia ſaxo
Grammata ſcripſêre, & memori de more, per annos
Funereo inuiſunt cultu monumenta puellæ.
Et quia virgo fuit mandârunt carmina græco
Virgineæ Muſæ, & tranſmiſſâ Agamemnona facti
Inuidiâ cecinêre, vt fictè vera loquendo,
Æternùm rem incredibilem, quaſi fabula narret.

IESSE,

IESSE,


Obedi filius.

CLAVSVLA.

DEmùm agmen claudet dux inuictiſſimus Iſâi,
Ille ducum palmes, reges radice propagans,
Militiæ ſudore rigans præfectus auitam
Cædendis virgam ſceptris ſiueſcere fecit.
Tollet ab obſcuris ſe regia ſaltibus arbos,
Magnaque gemmabunt tenues diademata ſtirpes.
Patricius Bethleëm Chriſto ſua rura parauit,
Et dignam cælo patriam; contraque Philiſtüm
Virtuti fors à cælo pro cote relictum,
Primùm acuit gladium. Bello îlicet arma teruntur,
Pace perit miles, pugnantque ſine hoſte ſodales.
Authoratus Militiæ ſanctuâria ſacræ
Defendit, quæ alibi ſi fortè amiſſa fuiſſent,
Vel ſeruata ducis latuiſſent pectore tanti.
Miles erat, ſed non qualis, queîs robur auarum eſt,
Vincere qui vellent, fœdo ante cupidine victi;
Queîs numen ſpreuiſſe, animi eſt audacia ſummi.
Armis emeritus, certauit robore certus
Conſilij, vtilius ſed enim, quàm bella geruntur,
Bella reguntur, habens canos, pro caſſide, ceruix,
Cumque nihil valuit telis, immiſit in hoſtes,
Pro telis natos, patri hi juuenilibus armis
Tergeminam fecêre manum, defecta reuixit
Vis ſenio, triplicique vnus ter corpore pugnans,
Inſtar Gerionis, trinâ virtute tricorpor,

Nil hoſti cedens, cædenſque ſedendo repreſſit.
Vis ſcire hoc quanti ſint ex genitore creati?
Maximum erat minimus qui ſtrauit mole gigantem.
Qua ſpecie? fratres inter deſpectior omnes
Lectus in imperium eſt: valido cum pectore Ieſſe
Lætitiæ eſt impar, anima eſt expulſa ſenilis.
Delectandonocet, prodeſtque volupta nocendo.
Rebus in humanis fingit, qui gaudia figit.
Perge, dabunt exempla etiam magè lubrica reges.

Digitized by Google



E. Quellinus del. Richard Collin sculp.

Digitized by Google

Dauid,
Ieſſe filius.
Chriſti linea.

	Salomon.	
Ex Ioſepho,	Roboam.	Ex Iuda,
Samuel.	Abias.	Suſanna.
	Aſa.	
	Ioſaphat.	
	Ioram.	
	Ochozias.	
	Ioas.	
	Amaſias.	
	Ozias.	
	Ioathan.	
	Achaz.	
	Ezechias.	
	Manaſſes.	
	Amon.	
	Ioſias.	
Ioachaz.	Eliacim.	Sedechias.
	Iechonias.	

DAVID.

DAVID,

Ieſſe filius.

EXEGESIS.

NVnc dabimus Reges, mundo maturuit Ætas
Crudior, ex oſtro ſplendens ſit purpura teſtis.
Molle latus fruſtrà cingit, dum ſudat in auro,
Quot numeras gemmas, ceruix tot fracta perîclis,
Queîs horrorem augent, pro ſecurâ aſtra quiete:
Aſſiduas glomerat, dicta vnde eſt Curia, curas.
Sole coronato, cælum, nigrantibus Auſtris
Voluitur, & cæco denſantur nubila vultu.
Regalem hic cinxit primùm diademate frontem,
Suprà omnes felix, infràque miſerrimus omnes.
Felix à minimo creuit, cùm maximus eſſet,
Ærumnis patuit ſummis; quem cura paterni;
Magna priùs puerum tentare adduxit ouilis;
Mactè animis iugulatores iugulauit, & illi,
Nî chlamydem victor primis aſſumpſerat annis,
Prætextam exuuiæ cęſi fecêre leonis.
Vngulam & ora puer, veluti ſua ludicra, verſans,
A teneris dura exorſus, liuore petendum
Thema dedit: nondum inuidiæ matura ferendæ
Materies, quia præmaturâ ætate profecta.
Monſtrum ingens, effœtæ propugnacula carnis,
Aggreſſus Goliam, cataphractum ſtrauit inermis,
Altior, elatumque caput, cæloque propinquum
Meſſuit, inuictam nîl terruit ardua moles
Virtutem: admonitu Balearis & impete dextro

Publica

Publica res vno fundę fundata lapillo,
Vno ſubuerſa eſt. Virtus aliena fatigat
Liuoris vires, & virus. Præmia laudis,
Inuidiam obtinuit, tua ſunt hæc, gloria, lucra.
Hæc aulæ norma, & facies, hæc gratia regum,
Poſt factum benè; & immixtum ſudore cruorem,
Non placuiſſe, dabunt, omni pro munere, grates.
Inde lyrâ delirantem mulcere Saülem,
Cura fuit, pariter fors arte valebit vtrâque,
Seu fila impellat, ſeu tela: irritat Ærynnes,
Quas lenit, fruſtráque modum modulamine tentat
Firmatis formare odijs, cantúque mouere
Exleges motus; animat dum fila canorus,
Exanimis torti fermè ſub cuſpide ferri
Procubuit, ſatiùs prouiderat excubus Æther,
Qui miſſam nî parietibus diſtorſerat haſtam,
Vertiſſet longo moriens ſua carmina leſſu.
Gethæas profugus cùm peruemiſſet in oras,
Regi, non Satrapis charus, (nam nullibì virtus
Inuidiam amittet) ſe dementare coäctus
Finxit, vt inſanos fugeret, proiectus ab aulâ;
Dum putat amentem, quæ ſi proſcriberet omnes,
Sinciput integrum queîs non eſt; ſola maneret.
Opilio thalamis creuit regalibus auctus,
Sed queîs bis centum pretium pręputia pendant;
Vt libitina truces præferret pronuba tedas.
Iſrâel & Judam iungens, geminamque tiaram
Implicuit fronti, tingente cruore Saülis,
Et Jonathæ, biberat funeſtum purpura coccum:
Quos nimis ardentes ardenter amauerat hoſtes,
Vitârat viuos, planxit, luxitque ſepultos,
Antè quidem mœſtus, ne vincat, poſt, quia vicit:
Victíque & victor per mutua vulnera læſi,
Ille dedit lacrymas, iſti fudêre cruorem.

Calca-

Calcauit, viditque hoſtilia buſta ſuperſtes,
Quos letho dedit, aut ſeſe, tandem aut Deus ipſe
Occidit: paſſus ſed funera plura ſuorum;
Cùm peſtis ſuccenſa vſſit fatalia Parcæ
Stamina, morsque fame nondùm ſatiata trienni
Adſciuit cædis, Martem, mortiſque miniſtrum.
Victori vt demùm fieret plorabile lucrum,
Amiſſis orbas inuadere ciuibus vrbes.
Finitimos ferro vinxit, vel fœdere reges.
Sæpe togâ multos lorica beatior ambit,
Campus, quàm thalamus, tuba, quàm ſit tibia, felix,
Sol vmbrâ eſt melior. Pacis dum commoda viuit,
Diſſidia inteſtina tulit, quo vincere Marte,
Aut vinci, infelix æquè eſt: nactuſque quietem
Peiorem bello, ac armorum pondere liber,
Mancipium Veneris, vînclis eſt captus amorum,
Quêis innodatus, facili per crimina ſaltu,
Junxit adulterio cædem, raptâque maritum
Coniuge depulſum thalamis, & pellere viuis
Jnſtituit, primâque aciei in fronte locatum,
Dum proprias ſcelerare manus cædendo refugit,
Et propinatum celauit honore perîclum,
Protinùs hoſtiles ruiturum miſit in enſes;
Perpetua Vriæ vt maneant monumenta, tabellæ.
Magnorum haud minor, eſt mundo conſpectior error;
Multiplici lætus thalamo, natiſque dolendus;
(Quippe volupta parit luctus) ſtupro ille ſororem,
Iſte thorum Patrium, probro inceſtante, nouercam,
Impetiêre: bis infelix hoc germine Dauid,
Seu dum committunt ambo, ſeu crimina plectunt.
Fratrem inceſtificus frater, ſed patre vetante,
Occidit ſtupratorem, cadit iſte, dolente.
Flebilior dubites iniuria, an vltio patri
Contigerit; geminos cauſauit vterque dolores.

Vicit

Vicit inornatam Solymam, ornauitq́ue ſubactam,
Nil quàm ſic vinci, fuit illi ſanius vrbi:
Illìc, cælituum ſanxit, ſanctuâria, munus,
At ſacris templum poſitis fundare repulſus;
Numine nempè manus munus fugiente cruentæ.
Dauidis palmas, quas iuſſerat; oderat æther.
Septuaginta annos ſuperans, quam clariùs antè
Ceſſiſſet, palmâque recens, claruſque trophæis!
Prima ætas ſtimulos, ſeros habet vltima frænos.
Frigidus, attritus, quantùm mutatus ab illo!
Imperium annoſus poſuit, quod cœperat infans,
Imbelliſque infante magis, ſua ſceptra decenni
Commiſit puero: vel feliciſſimus vno hoc,
Quod mundo maior, quo non ſapientior alter,
Ediderit natum, niſi & accelerare propinquam
Illius improbitas mortem præuiſa coëgit.
Difficilem exemplo doceat te purpura ſortem;
Regum conditio, facere eſt, non eſſe beatos.

SAMVEL

SAMVEL.

Ex Ioſepho.

EPITHETA.

Signari titulo nequit, hic qui conditur, vno,
Diuerſæ ſemper nomen virtutis adeptus.
Lætitiæ pater, aſt natus mœrore, vocetur:
Æmula dum matrem liuore nouerca fatigat,
Obſeruatque moram lacrymarum clepſydra longam,
Iam deſperandus, ſperatus prodijt infans.
Matrem habuit ſterilem; ſed enim natura parare
Dignum animæ corpus tantæ defecit. Acerbus
Conceptu, ſed maturus virtute, datori
Donandus cælo, cui ſe priùs obuius æther
Infudit, viíque occultas rimante latebras,
Sanctificans, vteri impleuit penetralia clauſi,
Vt nondùm natum luſtraret: & ille, priuſquàm
Inciperet proprias, illuſtres ſpiritus auras
Diuini occiperet. Cælo obſtetricante, miniſter
Nazareus creuit; diſcinctum faſcia vixdùm
Soluerat, accinctus votis prorepſit in aras.
Deſpondens, gratóque animo data munera reddens,
Officijs pia certauit cum numine mater,
Et ſeruum, at ſeruatâ libertate, ſacrauit.
Obſequio cæcus, monitis ſed lynceus, antè
Quàm fari poſſit, profatus vera Prophetes,
Nec tamen id mirum potuiſſe, prophetide natum.
Innocuâ vitâ, & feruoris candidus æſtu,
Propitiatricem ſeruans vigil excubus arcam,
Et Cherubin zelans geminos, ceu tertius inter:

Arca Dei, cuſtos arcæ, cuſtodia templi,
Ipſe Dei templum: jam conſuetudine Divûm,
Per ſomnum fruitus, vocalique ore, vocantem
Pontificem finxit Deus ipſe, (oracula credas
Pontificis, nunc eſſe Dei) vacuuſque pauore,
Numine ſuſcepto plenus, ſuprema malorum
Pontifici & natis, offenſi numinis iram
Æquus cæleſtis prædixit vindicis index.
Hi libare magis docti, dapibuſque litare,
Lucem obſcurabant noxis, luxuque tenebras,
Sacrifici, ventris vernæ, quos ore ſuauis,
Eloquio aſperior, cæloque iubente ſeuerus,
Intrepidè increpuit, trepidumque timore repleuit,
Cenſurâ in natos nimis indulgente parentem,
Damnabat raptus, viuens tamen ipſe rapinis,
Conniuendo ſcelus, crimenque medendo fouebat.
Præuiſu verax, velox prouiſu, inopinum
Cuî nîl contigerit. Fulciuit Pontificatum,
Lapſo Pontifice. Indignum defecerat Aâron,
Deficiente Aâron, munus: ſed fœdere vindex
Amiſſam obtinuit renouato hic fœderis arcam.
Promeritam admonuit populos vitare dolendo
Vindictam, læſumque malis mulcere tonantem.
Pace valens, bellare potens, ſine Marte Philiſthiim
Proſtrauit, cælique fuit, pro milite, fulgur,
Perdidit & captos, & fortis perdita cepit:
Et judex æqui, iuſtos æquiſſimus inter,
Subſtituit natos oneri, meliuſque remouit
Impoſitos populis, ne fuluo falleret œſtro,
Juſtitiæ lances Aurum corrumpere fallax.
Conſuluît plebi Conſul, regemque creauit,
Etſi inconſultò poſcentibus, vtpotè quorum
Rex, tutorque Deus: ſpecies cui ſumma reperta eſt,
Electus ſceptris, aſinas quærendo paternas,

Regni

Regni iuuenit onus, regna obtinuêre grauantem.
E toto grege Rex melior, voluiſſe mederi,
Vnguento credas fuſo capiti: eſſe ſuperbum
Regius eſt morbus; faſtuſque eſt faſcibus ingens.
Zelo ardens, lacrymiſque madens, calcata Saulis
Vidit auaritie poſtquàm mandata Tonantis,
Inuiſum ſuperis properauit linquere regem:
(Sit ſemper præ rege tibi Rex ſummus) at ille
Comprenſæ chlamydis tardando diſcidit oram;
Sciſſáque ſcindendi veſtis tulit omina regni.
Fruſtrà ſeruatum regi diſcerpſit Agagum,
Et meliore gregis regimen, regníque tiaram
Auſpicio, impoſuit Dauid, Iudamque perenni
Aſſeruit regno. Claudo compendia laudum,
In ſe cunctarum clauſit compendia laudum.
Oſores dudùm virtutis vt ante peroſos
Effugiat, vitam inuitam cum morte paciſcens,
Iuit in optatam, trans inuida fata, quietem.
Nec votum obtinuit; Rex improbitate ſepultum,
Quâ vivum odit, conturbans, maneſque laceſſens,
Pythonis, magicæ incentricis, carmine mouit:
Ventriloqua hæc meritò, nigræ telluris vt aluo
Reſponſa expoſcat. Sic mens contraria ſemper
Præſentem fugit, & ſequitur, cùm fugerit, amens
Virtutem. Fruſtrà lictum, nè viſeret orbem,
Qui tumulos turbârat, proturbauit in orcum:
Qui manes irritauit, nunquàm ipſe quieſcat;
Attonitúmque vmbris, ſcrutatas traxit ad vmbras.
Reſpondere æquum fuit, atque vocare vocantem.
Sæpe ſui inuenti ſeſe inuoluêre periclo,
Quos explorare ingenium ſua damna coëgit.
Tandem, vt bis viuat, moritur ſemel, vt requieſcat,
Bis moritur. Tu dum plaudis, ne fortè iacenti
Rurſum obſis, tacito, monitus, pede perge, viator.

SALOMON,

Dauidis filius.

SCYLLA.

ADſpicis aſpectu monſtrum variante triforme,
Femineum humanâ pectus ceruice ſuperbum,
Pro pedibus, caudâ corpus claudente ferinâ;
Et Scyllam eſſe putas? Salomo eſt. Puerilibus annis,
Vir prudens, medio vixdùm vir ſemiuir æuo,
Totus femineus, ſenio ſubeunte feroci,
Finijt ætatem monſtroſam, femina, nec vir,
Non fera, nec puer, aſt conflata ex omnibus hydra.
Hoc puero nemo natus ſapientior vnquàm,
Scilicet hic vnus didicit nihil, omnia ſciuit.
Quæ iuuenes fugit, ad iuuenem prudentia venit,
Et ſecura ſui, ſtrictè amplexata pudicum,
Cui pro canitie, puerili in pectore candor:
Quodque magis mirum, noctù, ſomnóque ſolutum
Inueniens, ſensim irrepſit, ſomnuſque Camœnas
Pellere cùm ſoleat, vigilans comprendere cura,
Trans oculos, mentis pandens ſibi lumina, clauſos
Peruaſit, medio ſapientia nata ſopore.
Hoc ſolo indicio, potuit cæleſtis haberi,
Cælitùs intrauit, non indotatáque nupſit,
Tyrones ferulis terrere aſſueta, nouello
Porrexit ſceptrum Salomon. Dubitaueris, vtri
Plus vter attulerit; rexit puer iſte per ipſam,
Regnauitque ea per puerum. Pietate iubente,
Cura fuit patri prima ædificare ſepulchrum;

Cælauit cultu marmor tam diuite, & aurum,
Vt defunctum æternârit tumulando parentem.
Errant, degeneres qui ne fortaſsè probentur,
Extinguunt patrum famam: manet illa ſuperſtes,
Et fati aſpernans buſtum interitumque triumphat;
Cum deſiderium repetit, votumque proborum,
Quos necis inuidia in mortem ſine morte coëgit.
Eiuſdem pietatis opus, dum criminis vltor,
Legatam patrio Ioab teſtamine, mortem
Intulit; imperij prauorum nempe ruinâ
Fundamenta noui ſurgent. Ex Rege Sacerdos,
Exſtruxit templum, mundum magè dixeris eſſe,
Quàm templum, ſpatio diuerſum triplice, deinde
Quadrifidum, ac annis totidèm, quòt ſolibus orbis
Perfectum. Affluxit collatis vndique gazis
Mundus, vt ornaret mundum, in compendia ſtrictus,
Auſpicio vt maiore ingens ſoboleſceret orbis.
Diuinæ, vt fas eſt, operæ, ciuilia ſubdens,
Vrbibus imperij fines, & mœnibus vrbes
Inueſtiît, terraſque bonis rectoribus auxit,
Rectores terris. Pacis ne commoda plebi
Luxuriem faciant, ſcelerumve licentia creſcat,
Alta edicendo poſuit ſubſellia iuri;
Sublimi inuidiam mouêre palatia cælo,
Et ſparſæ paſſim gemmæ lare regio, & oſtrum:
Aulæ aurata dieni fecêre aulęa nitenti,
Aurea in-auratos reuocauit ſæcla penates,
Et Themidem, inuiſas, ſua regna, reuiſere terras.
Juſtitiæ hæc arx, gemmatum veneranda tribunal
Purpura ſubſtrauit; nemo venalia iura
Speret, vbi calcantur opes: Sapientia nuſquam
Lautiùs, hâc nemo fautrice beatior alter.
Felici nimis implicitas interprete lites
Momento explicuit. Dabimus cuncta, vnius inſtar

 Judi-

Iudicia: ambiguis cauſam de prolibus, ambæ
Tentabant matres, (nec enim eſt obſcurius iſto
Arbitrium, natis quam deſignare parentes,
Aut natos genitoribus) Infans ergo ſuperſtes,
Et dubiâ ſub matre orbus, ſine matre, bimater,
In matris fletus, & pluſquàm infeſta nouercæ
Conſilia expoſitus, lictoris ab enſe pependit.
Ingenium ſolers, prô! quanta induſtria! matrem
Sinceram, indicio teneri deprêndit amoris;
Matri orbæ proles, proli orbæ reddita mater.
Dictatrix modulis eadem ſapientia veros
Impleuit calamos, diuûmque oracula ſcripſit,
Nîl orâcla loquens præter. Sciti ſſima, tantæ
Doctrinę famâ, Solymam regina profecta,
Plùs coram vidit, rumor quàm fortis eundo
Narrârat, ſummam vicit præſentia famam;
Plùs didicit, quàm quæſierit, quàm quærere poſſet.
Heu! quàm nîl rebus conſtat mortalibus! ingens
Marcuit ingenium, cùm matureſcere cœpit.
Vidiſti attonitus ſenium in puerilibus annis,
In ſenio demùm puerum mirare: libido,
Ingenuum ingenium ſubigens, ſeruire coëgit;
Omnis laſciuis diffugit ab æſtibus aſtus.
Fortè Venus, iure hoc auſa eſt fidentior iſto,
Quod Bethſabeâ natum, in ſua caſtra redegit,
Duxitque hæredem patris per crimina prolem.
Regno impar, cui nulla ſibi regnare poteſtas.
Non bene ſeruata amentem ſapientia mentem
Deſtituit, faſtiſque notans immania diris
Flagitia, opprobrijs indignam eſt vltà repulſam.
Partitus ſeptuâgintà connubia tedis,
Concubitu fertur proprias legiſſe trecentas,
Stuprâſſe innumeras, nam quotquòt vidit, amauit,
Et voluit, tenuitque: Horrens natura ſtupebat
Prodi-

Prodigium, cùm ſufficeret Salomo omnibus vnus,
Non omnes vni. Sapientis munera dotes
Dilapidans animæ, Veneris ſtipendia, miles,
Sopitos, hebeteſque animos, cæcoſque furores,
Rettulit: hæc natum; cur non excæcet amantes?
Jamque Dei eiurans, & legibus Aſmodæi
Subſcribens, idolorúmque idola ſuorum
Confeſſus thure, & Venerem veneratus, amoris
Amens ludibrium; dictam eſſe idcircò putares
Luciferum, per eam quod Lucifer ipſe colatur.
Luxuriem feritas certo de more ſecuta,
Muneribus tulerunt conſueta alimenta rapinæ.
Proximus eſt alienâ inuadere, propria perdens.
Tota gynæceis inſeruiît regia, Rexque
Profligauit opes regni, nudauit amicos,
Et ciues, vt compoſitas ornaret amicas.
Æruſcator feralis, ſibi dęmonas eſſe
Conſtituit vectigales, aurúmque per artes
Scrutatus magicas, Plutum Plutonis in antris
Quæſiuit. Demùm æterno ſibi fœdere pactam
Pacificus pacem amiſit, meretricio ab æſtu
Elanguît, perijtque decor marcentis oliuæ:
Et Salomon, iam non Salomon, bellantis Idumes
Suſtinuit latronum aciem; ſed & ipſe rebellans
Hieroboâm quæſtor, bella inteſtina parauit,
Et proprijs regna occepit mulctare tributis.
Cultorem infido afflixit Mammona miniſtro.
Afflatus donec diuino numine Ahias,
Diuiſit regnum vates, partitus amictum,
Et diuiſa chlamys populos in ſchiſma citauit.
Tandem obijt ſapiens inſanus, qui decus olim,
Dedecus Hebræis ęternum, diues; inopſque,
Inter opes, ſteriléſque inter connubia miſcens
Concubitus, ipſa vt lucem Lucina negârit,

Indignans tot flagitijs, vitamque recuſans
Fœcundo ſceleri, vix natum eduxerit vnum,
Innumeris thalamis. Adeò Veneri Venus ipſa
Infeſta. Incoluit, coluit quæ tartara, Chriſti
E proauis, primus. Nec enim hic idola remouit,
Quæ poſuit, textuſque ſacer cùm flenda loquatur,
Non meminit lacrymas, niſi forſan præfica ficto
Pellicis officium potuit conuertere fletu,
Plorare aut facilis, ſed nil meritura meretrix.
Debuit ipſe reus luctu delicta luiſſe,
Ne ſemper lueret, numquàm ablueret. Maleſanum
Forma malum! tantæ demens Sapientia mentis
Illius exſorpta eſt penitùs vortigine fluctus:
Atque hominem monſtro vertit, Scyllâque feroci.
Hanc ô, ſi ſapitis, ſcyllam procul eſſe iubete.

ROBOAM,

RÖBOAM,

Salomonis Filius.

PARALLELA.

INſana inſanum patrem ſequitur ſua proles,
Ex nondum inſano natus (natalia tantum
Anteëunt exempla mali) ceruice tiaram
Infectam impegit. Puer illam accepit vterque,
Ille annis, hic ingenio. Puer iſte ſenile
Conſilium audiuit, ſenior iuuenilibus aſt hic
Conſilijs potiùs regni commiſit habenas,
Quem facient ſerò accelerata pericula cautum;
Cum ſenij poſcat niti grauitate ſenatus,
Conſilio quantùm iuuenili regna ſeneſcant.
Par idola vtrique libido vxoria ſuaſit;
Is cultor Veneris, cultor fuit iſte Priapi,
Femineus numen geſtiît celebrare virile,
Ipſa Sacerdotis peragat cui munia coniux,
Dum quod amat, recolit, melior pro numine tali
Victima, quàm Myſtes. Par eſt amentia, pauit
Coniugum vterque gregem; primus, quod ditior eſſet,
Maiorem. Spretus iacet Aſmodæus, inerſque,
Abs auro; Martis, Veneriſque pecunia, neruus.
Par leuitas populos vtrique onerare tributis:
Duriùs hic, etſi mollis, ſed molliùs iſte:
Namque opibus ſuperadijciens conuicia raptis,
Vngue tenax, linguâ mordax, raptorque probroſus,
Et fera bis lædens, duplici ſua damna grauauit

 Sæuitie

Amens prætulerit, fidens poſtponere diro
Templa gynæceo, orbauitque altaria gazis,
Et ſpolijs dotem ablatis cumulauit, & octo
Suprà triginta prognatis vndiquè natis,
Hæredes patrijque animi, vitæque reliquit,
Et ſua legauit patrimonia, crimina, diues.
Impurum ac ingratum, ſub primordia regni,
Dimidium ſub vitæ, nequitiæque ſupremum,
Indignum æthereo Nemeſis pronunciat axe:
Nudetur vita, vittiſque orbetur, & orbe,
Exutuſque lares, laurique virentis honores;
Æternùm obſcurus: ſubeatque ergaſtula ditis;
Quos coluit, manûm manibus plectendus in æuum.
Cæleſtis, ſic cum populo acclamante Senatus,
Flagitium nigris cenſet, damnatque lapillis,
Addictumque ſtygi cælo proſcribit, & arcet.

ASA,

A S A,

Abiæ Filius.

R O G V S.

IN flammam hanc lectos immitte, viator, odores;
Aſa hic rex Iuda, primus regale rogali
Pigmento afflatum, & radiatum luce petiuit
Inſtitui non immeritò ſibi funus, vt imbuat auras;
Vitæ odor exſtinctæ, cunctas quæ impleuerat aures.
Hæ regum exequiæ Phœnici, & buſta parentant.
Filius hic ataui, non patris, relligionem
Reſtituit, promptuſque audire oracla videntis
Azariæ, patriæ pater optimus: vtque malorum
Principium princeps malus eſt; Antiſtita mater
Dum turpes cultus, ſacra execranda Priapi
Exercet, regno, nato indignante, repulſa eſt.
Femineoſque mares, tetris quos maſculus ardor,
Vt lucem fugerent, ſub terrâ incluſerat antris,
Polluti vt colerent delubra, libidine brutâ
Brutorum implentes lucos, igni ille cremari
Eductos ſtatuit, dignos hâc luce perire,
Hac face reſtingui. Mortis lex certa merentes
Condemnat, queîs mens adeò ſibi conſcia iudex,
Vt tumulent ſeſe, vt peccent, & ditis auerno,
Vt pœnas properent, quærant propiore latebras;
In Cedronem, prodigio maiore, Priapum

Demerſit

Arca Dei, cuſtos arcæ, cuſtodia templi,
Ipſe Dei templum: jam conſuetudine Divûm,
Per ſomnum fruitus, vocalique ore, vocantem
Pontificem finxit Deus ipſe, (oracula credas
Pontificis, nunc eſſe Dei) vacuuſque pauore,
Numine ſuſcepto plenus, ſuprema malorum
Pontifici & natis, offenſi numinis iram
Æquus cæleſtis prædixit vindicis index.
Hi libare magis docti, dapibuſque litare,
Lucem obſcurabant noxis, luxuque tenebras,
Sacrifici, ventris vernæ, quos ore ſuauis,
Eloquio aſperior, cæloque iubente ſeuerus,
Intrepidè increpuit, trepidumque timore repleuit,
Cenſurâ in natos nimis indulgente parentem,
Damnabat raptus, viuens tamen ipſe rapinis,
Conniuendo ſcelus, crimenque medendo fouebat.
Præuiſu verax, velox prouiſu, inopinum
Cuî nîl contigerit. Fulciuit Pontificatum,
Lapſo Pontifice. Indignum defecerat Aâron,
Deficiente Aâron, munus: ſed fœdere vindex
Amiſſam obtinuit renouato hic fœderis arcam.
Promeritam admonuit populos vitare dolendo
Vindictam, læſumque malis mulcere tonantem.
Pace valens, bellare potens, ſine Marte Philiſthîûm
Proſtrauit, cæliquè fuit, pro milite, fulgur,
Perdidit & captos, & fortis perdita cepit:
Et judex æqui, iuſtos æquiſſimus inter,
Subſtituit natos oneri, meliuſque remouit
Impoſitos populis, ne fuluo falleret œſtro,
Iuſtitiæ lances Aurum corrumpere fallax.
Conſuluit plebi Conſul, regemque creauit,
Etſi inconſultò poſcentibus, vtpotè quorum
Rex, tutorque Deus: ſpecies cui ſumma reperta eſt,
Electus ſceptris, aſinas quærendo paternas,

Regni

Regni iuuenit onus, regna obtinuêre grauantem.
E toto grege Rex melior, voluiſſe mederi,
Vnguento credas fuſo capiti: eſſe ſuperbum
Regius eſt morbus; faſtuſque eſt faſcibus ingens.
Zelo ardens, lacrymiſque madens, calcata Säulis
Vidit auaritie poſtquàm mandata Tonantis,
Inuiſum ſuperis properauit linquere regem:
(Sit ſemper præ rege tibi Rex ſummus) at ille
Comprenſæ chlamydis tardando diſcidit oram;
Sciſſáque ſcindendi veſtis tulit ômina regni.
Fruſtrà ſeruatum regi diſcerpſit Agagum,
Et meliore gregis regimen, regníque tiaram
Auſpicio, impoſuit Dauid, Iudamque perenni
Aſſeruit regno. Claudo compendia laudum,
In ſe cunctarum clauſit compendia laudum.
Oſores dudùm virtutis vt ante peroſos
Effugiat, vitàm inuitam cum morte paciſcens,
Iuit in optatam, trans inuida fata, quietem.
Nec votum obtinuit; Rex improbitate ſepultum,
Quâ vivum odit, conturbans, maneſque laceſſens,
Pythonis, magicæ incentricis, carmine mouit:
Ventriloqua hæc meritò, nigræ telluris vt aluo
Reſponſa expoſcat. Sic mens contraria ſemper
Præſentem fugit, & ſequitur, cùm fugerit, amens
Virtutem. Fruſtrà lictum, nè viſeret orbem,
Qui tumulos turbârat, proturbauit in orcum:
Qui manes irritauit, nunquàm ipſe quieſcat;
Attonitúmque vmbris, ſcrutatas traxit ad vmbras.
Reſpondere æquum fuit, atque vocare vocantem.
Sæpe ſui inuenti ſeſe inuoluêre perîclo,
Quos explorare ingenium ſua damna cöegit.
Tandem, vt bìs viuat, moritur ſemèl, vt requieſcat;
Bìs moritur. Tu dum plaudis, ne fortè iacenti
Rurſum obſis, tacito, monitus, pede perge, viator.

H 2 SALOMON,

SALOMON,

Dauidis filius.

SCYLLA.

ADſpicis aſpectu monſtrum variante triforme,
Femineum humanâ pectus ceruice ſuperbum,
Pro pedibus, caudâ corpus claudente ferinâ;
Et Scyllam eſſe putas? Salomo eſt. Puerilibus annis,
Vir prudens, medio vixdùm vir ſemiuir æuo,
Totus femineus, ſenio ſubeunte feroci,
Finijt ætatem monſtroſam, femina, nec vir,
Non fera, nec puer, aſt conflata ex omnibus hydra.
Hoc puero nemo natus ſapientior vnquàm,
Scilicet hic vnus didicit nihil, omnia ſciuit.
Quæ iuuenes fugit, ad iuuenem prudentia venit,
Et ſecura ſui, ſtrictè amplexata pudicum,
Cuî pro canitie, puerili in pectore candor:
Quodque magis mirum, noctù, ſomnóque ſolutum
Inueniens, ſenſim irrepſit, ſomnuſque Camœnas
Pellere cùm ſoleat, vigilans comprendere cura,
Trans oculos, mentis pandens ſibi lumina, clauſos
Peruaſit, medio ſapientia nata ſopore.
Hoc ſolo indicio, potuit cæleſtis haberi,
Cælitùs intrauit, non indotatáque nupſit,
Tyrones ferulis terrere aſſueta, nouello
Porrexit ſceptrum Salomon. Dubitaueris, vtri
Plus vter attulerit; rexit puer iſte per ipſam,
Regnauitque ea per puerum. Pietate iubente,
Cura fuit patri prima ædificare ſepulchrum;

Cælauit cultu marmor tam diuite, & aurum,
Vt defunctum æternârit tumulando parentem.
Errant, degeneres qui ne fortaſsè probentur,
Extinguunt patrum famam: manet illa ſuperſtes,
Et fati aſpernans buſtum interitumque triumphat;
Cum deſiderium repetit, votumque proborum,
Quos necis inuidia in mortem ſinè morte coëgit.
Eiuſdem pietatis opus, dum criminis vltor,
Legatam patrio Ioab teſtamine, mortem
Intulit; imperij prauorum nempe ruinâ
Fundamenta noui ſurgent. Ex Rege Sacerdos,
Exſtruxit templum, mundum magè dixeris eſſe,
Quàm templum; ſpatio diuerſum triplice, deinde
Quadrifidum, ac annis totidèm, quòt ſolibus orbis
Perfectum. Affluxit collatis vndique gazis
Mundus, vt ornaret mundum, in compendia ſtrictus;
Auſpicio vt maiore ingens ſoboleſceret orbis.
Diuinæ, vt fas eſt, operæ, ciuilia ſubdens,
Vrbibus imperij fines, & mœnibus vrbes
Inueſtiît, terraſque bonis rectoribus auxit,
Rectores terris. Pacis ne commoda plebi
Luxuriem faciant, ſcelerumve licentia creſcat,
Alta edicendo poſuit ſubſellia iuri;
Sublimi inuidiam mouêre palatia cælo,
Et ſparſæ paſſim gemmæ lare regio, & oſtrum:
Aulæ aurata dieni fecêre aulęa nitenti,
Aurea in-auratos reuocauit ſæcla penates,
Et Themidem, inuiſas, ſua regna, reuiſere terras.
Juſtitiæ hæc arx, gemmatum veneranda tribunal
Purpura ſubſtrauit; nemo venalia iura
Speret, vbi calcantur opes: Sapientia nuſquam
Lautiùs, hâc nemo fautrice beatior alter.
Felici nimis implicitas interprete lites
Momento explicuit. Dabimus cuncta, vnius inſtar

Judi-

Iudicia: ambiguis cauſam de prolibus, ambæ
Tentabant matres, (nec enim eſt obſcurius iſto
Arbitrium, natis quam deſignare parentes,
Aut natos genitoribus) Infans ergo ſuperſtes,
Et dubiâ ſub matre orbus, ſine matre, bimater,
In matris fletus, & pluſquàm infeſta nouercæ
Conſilia expoſitus, lictoris ab enſe pependit.
Ingenium ſolers, prô! quanta induſtria! matrem
Sinceram, indicio teneri deprêndit amoris;
Matri orbæ proles, proli orbæ reddita mater.
Dictatrix modulis eadem ſapientia veros
Impleuit calamos, diuûmque oracula ſcripſit,
Nîl orâcla loquens præter. Scitiſſima, tantæ
Doctrinę famâ, Solymam regina profecta,
Plùs coram vidit, rumor quàm fortis eundo
Narrârat, ſummam vicit præſentia famam;
Plùs didicit, quàm quæſierit, quàm quærere poſſet.
Heu! quàm nîl rebus conſtat mortalibus! ingens
Marcuit ingenium, cùm matureſcere cœpit.
Vidiſti attonitus ſenium in puerilibus annis,
In ſenio demùm puerum mirare; libido,
Ingenuum ingenium ſubigens, ſeruire coëgit;
Omnis laſciuis diffugit ab æſtibus aſtus.
Fortè Venus, iure hoc auſa eſt fidentior iſto,
Quod Bethſabeâ natum, in ſua caſtra redegit,
Duxitque hæredem patris per crimina prolem.
Regno impar, cui nulla ſibi regnare poteſtas.
Non bene ſeruata amentem ſapientia mentem
Deſtituit, faſtiſque notans immania diris
Flagitia, opprobrijs indignam eſt vlta repulſam.
Partitus ſeptuâgintà connubia tedis,
Concubitu fertur proprias legiſſe trecentas,
Stuprâſſe innumeras, nam quotquòt vidit, amauit,
Et voluit, tenuitque: Horrens natura ſtupebat.

Prodi-

Prodigium, cùm ſufficeret Salomo omnibus vnus,
Non omnes vni. Sapientis munera dotes
Dilapidans animæ, Veneris ſtipendia, miles,
Sopitos, hebeteſque animos, cæcoſque furores,
Rettulit: hæc natum; cur non excæcet amantes?
Jamque Dei eiurans, & legibus Aſmodæi
Subſcribens, idolorúmque idola ſuorum
Confeſſus thure, & Venerem veneratus, amoris
Amens ludibrium; dictam eſſe idcircò putares
Luciferum, per eam quod Lucifer ipſe colatur.
Luxuriem feritas certo de more ſecuta,
Muneribus tulerunt conſueta alimenta rapinæ.
Proximus eſt alienâ inuadere, propria perdens.
Tota gynæceis inſeruiît regia, Rexque
Profligauit opes regni, nudauit amicos,
Et ciues, vt compoſitas ornaret amicas.
Æruſcator feralis, ſibi dęmonas eſſe
Conſtituit vectigales, aurúmque per artes
Scrutatus magicas, Plutum Plutonis in antris
Quæſiuit. Demùm æterno ſibi fœdere pactam
Pacificus pacem amiſit, meretricio ab æſtu
Elanguît, perijtque decor marcentis oliuæ:
Et Salomon, iam non Salomon, bellantis Idumes
Suſtinuit latronum aciem; ſed & ipſe rebellans
Hieroboâm quæſtor, bella inteſtina parauit,
Et proprijs regna occepit mulctare tributis.
Cultorem infido afflixit Mammona miniſtro.
Afflatus donec diuino numine Ahias,
Diuiſit regnum vates, partitus amictum,
Et diuiſa chlamys populos in ſchiſma citauit.
Tandem obijt ſapiens inſanus, qui decus olim,
Dedecus Hebræis ęternum, diues; inopſque,
Inter opes, ſteriléſque inter connubia miſcens
Concubitus, ipſa vt lucem Lucina negârit,

Indignans tot flagitijs, vitamque recuſans,
Fœcundo ſceleri, vix natum eduxerit vnum,
Innumeris thalamis. Adeò Veneri Venus ipſa
Infeſta. Incoluit, coluit quæ tartara, Chriſti
E proauis, primus. Nec enim hic idola remouit,
Quæ poſuit, textuſque ſacer cùm flenda loquatur,
Non meminit lacrymas, niſi forſàn præfica ficto
Pellicis officium potuit conuertere fletu,
Plorare aut facilis, ſed nil meritura meretrix.
Debuit ipſe reus luctu delicta luiſſe,
Ne ſemper lueret, numquàm ablueret. Maleſanum
Forma malum! tantæ demens Sapientia mentis
Illius exſorpta eſt penitùs vortigine fluctus:
Atque hominem monſtro vertit, Scyllâque feroci.
Hanc ô, ſi ſapitis, ſcyllam procul eſſe iubete.

RÖBOAM,

Salomonis Filius.

PARALLELA.

INſana inſanum patrem ſequitur ſua proles,
Ex nondum inſano natus (natalia tantum
Anteëunt exempla mali) ceruice tiaram
Infectam impegit. Puer illam accepit vterque,
Ille annis, hic ingenio. Puer iſte ſenile
Conſilium audiuit, ſenior iuuenilibus aſt hic
Conſilijs potiùs regni commiſit habenas,
Quem facient ſerò accelerata pericula cautum;
Cum ſenij poſcat ſibi grauitate ſenatus,
Conſilio quantùm iuuenili regna ſeneſcant.
Par idola vtrique libido vxoria ſuaſit;
Is cultor Veneris, cultor fuit iſte Priapi,
Femineus numen geſtiit celebrare virile,
Ipſa Sacerdotis peragat cui munia coniux,
Dum quod amat, recolit, melior pro numine tali
Victima, quàm Myſtes. Par eſt amentia, pauit
Coniugum vterque gregem, primus, quod ditior eſſet,
Maiorem. Spretus iacet Aſmodæus, inerſque,
Abs auro; Martis, Venerisque pecunia, neruus.
Par leuitas populos vtrique onerare tributis:
Duriùs hic, etſi mollis, ſed molliùs iſte:
Namque opibus ſuperadijciens conuicia raptis,
Vngue tenax, linguâ mordax, raptorque probroſus,
Et fera bis lædens, duplici ſua damna grauauit

 Sæuitie

Sæuitie, plebs ergò pari depellere regno
Seditione vtrumque parat, preſſumque malorum
Mole; vt reſpiret, vulgus conſpirat: at alter
Placauit quondam turbam, hic placando citatam
Turbauit; nam quem præfecerat ante tributis,
Cenſum vt mulgeret, cœtum vt mulceret, Aduram,
Torcorem populis lectum legauit, vt aurum
Quæ traxit quondam, facundia ſaxa moueret:
Et verò mouit, didicitque hoc imbre repulſus,
Quæ nimium læſit, fruſtrà ſerò vngere linguam.
Regni ſchiſma ambo fleuêre, ſed ille ſub vmbræ
Præuiſum augurijs, hic verum. Relligione
Diuisâ, ac regno, Roboam poſſedit Iüda,
Iſrâel Ieroboam. Facili diſcrimine ſectæ
Regna ſecant. Regeſque pari irritauit vterque
Externos fato; aſt hunc libertate Zeſacus
Nudauit Pharao, templumque ſuo exuit auro.
Finitimis lucrum bella inteſtina procurant.
Obtulerunt ambo pariter ſua munera templis,
Hic tantum ænea, quis genitor dedit aurea quondam.
Diſparia inſpiciens æraria, noſcere poſſis
Quam citò degeneri vileſcant ſæcla metallo.
Flagitijque paris par plexuit vltio ſontes
In ſtygias ducti flammante cupidine flammas,
Ignibus ardere alternis, turbâque premente,
Stagna inter, tam multiplici fumantia tedâ,
Effugiunt lucem, igne atro faciente tenebras.
Lis dubia eſt, inſanus vter magè dignus haberi,
Qui numquam ſapuit, num qui ſapientior vnus
Omnibus, hoc demens magè, mente quod excidit altâ.

ABIAS,

ABIAS.

Roboami Filius.

EDICTVM.

ARbitrium mundus cæli, infernuſque capeſſat;
Quod Roboam, ex Abeſalomitide, natus Abias,
A teneris creſcens puer, impietate paternâ,
Progenies ſimilis, matriſque libidine, vixit.
Germina & ipſe malus mox deteriora daturus,
Communis varijs coniux vxoribus vnus,
Vxorem obtinuit communem, vt nomine matri,
Et vitâ ſimilem: quodque hæres regna potitus,
Secluſo primogenito, nîl ſanctior inde,
Et quamuis legum vindex, in legibus exlex,
Effrenis vixit: ſuâſor quod relligionis,
Aſt non ſectator, fando, haud faciendo probatus,
Non ſua percepit præcepta; quod æquior enſe,
Quam mente, & de Ieroboam victoriam adeptus
Nauiter, hac ipsâ nimium quàm ignauiter vſus;
Millia cùm cælum ex Iſraël quingenta necâſſet,
Indignoſque aris mediâ mactâſſet arenâ,
Idololatras, quàm idola, euertere promptus,
Obſequijs cladem iuſtis implere pepercit:
Quodque expugnatam Bethel, Sichemque triumphans,
E fanis aurum potiùs, quàm fana profanis
Suſtulit, & rurſum Venerem, Martemque maritans,
Prædo pudicitiæ, vt luſtraret forſitan, vrbes
Impleuit luſtris: quod libertate potitus,
Seruiliſque impos mentis, connubia bis ſex

Amenâ

Amens prætulerit, fidens poſtponere diro
Templa gynæceo, orbauitque altaria gazis,
Et ſpolijs dotem ablatis cumulauit, & octo
Suprà triginta prognatis vndiquè natis,
Hæredes patrijque animi, vitæque reliquit,
Et ſua legauit patrimonia, crimina, diues.
Impurum ac ingratum, ſub primordia regni,
Dimidium ſub vitæ, nequitiæque ſupremum,
Indignum æthereo Nemeſis pronunciat axe:
Nudetur vita, vitiiſque orbetur, & orbe,
Exutuſque lares, laurique virentis honores;
Æternùm obſcurus: ſubeatque ergaſtula ditis,
Quos coluit, manûm manibus plectendus in æuum.
Cæleſtis, ſic cum populo acclamante Senatus,
Flagitium nigris cenſet, damnatque lapillis,
Addictumque ſtygi cælo proſcribit, & arcet.

A S A.

Abiæ Filius.

R O G V S.

IN flammam hanc lectos immitte, viator, odores;
Aſa hic rex Iuda, primus regale rogali
Pigmento afflatum, & radiatum luce petiuit
Inſtitui non immeritò ſibi funus, vt imbuat auras;
Vitæ odor exſtinctæ, cunctas quæ impleuerat aures.
Hæ regum exequiæ Phœnici, & buſta parentant.
Filius hic ataui, non patris, relligionem
Reſtituit, promptuſque audire oracla videntis
Azariæ, patriæ pater optimus: vtque malorum
Principium princeps malus eſt; Antiſtita mater
Dum turpes cultus, ſacra execranda Priapi
Exercet, regno, nato indignante, repulſa eſt.
Femineoſque mares, tetris quos maſculus ardor,
Vt lucem fugerent, ſub terrâ incluſerat antris,
Polluti vt colerent delubra, libidine brutâ
Brutorum implentes lucos, igni ille cremari
Eductos ſtatuit, dignos hâc luce perire,
Hac face reſtingui. Mortis lex certa merentes
Condemnat, queîs mens adeò ſibi conſcia iudex,
Vt tumulent ſeſe, vt peccent, & ditis auerno,
Vt pœnas properent, quærant propiore latebras;
In Cedronem, prodigio maiore, Priapum

Demerſit

Demerſit, ſubitoque illìc correptus ab igne
Eſt torrente ipſo toſtus, ſenſiſſe putarés
Præmonitas vndas, Chriſtiq́ue aliquando beandas
Virgineo inceſſu, lymphanti ab imagine lymphas,
Ne fortè immundam ſubſternant paſſibus aluum,
Contactu impuro, nato luſtrarier igne.
Vndas idolum fortè vrit, an vritur vndis?
Viſum alias equidem, quamuis mirabile monſtrum:
Ipſa Venus, cum flamma ſiet, tamen æquore nata eſt,
Et madidas inter lacrymas vruntur amantes.
Cultores, dum torretur, terrentur, in ipſis
Conſpicere exuſtis incendia nata fluentis,
Naufragiumq́ue pati flammis, ſenſêre calorem
Flumineę volucres, tepidóque iuêre profundo
Ignoto trepidi ſuo regna ardere elemento.
Non igitur vano, Medicus, fuit omine dictus,
Qui certam populo faceret languente ſalutem:
Magna etenim vulgi cenſura eſt, regia virtus.
Subſcripſit tanto pax & victoria honori,
Quìn illam pax, & pacem victoria parta eſt:
Æthiopum decies ſurgebant millia centum,
Furuo atram mortem ſibi vaticinata colore;
Cœlitùs incuſſis, vanis terroribus omnes
Sternendo, aut magè ſpernendo, difflauit, apertos
Ceu peplo cingens agros, nigra corpora ſorbens
Voluit humus, credas extinctos ſanguine torres:
Et tetrâ prius horribiles fuligine mentes
Ditem adiêre nigrum, fratres ſtupuêre recentes,
Et non abſimiles furiæ, geminíſque tenebris
Horruit infernus. Poſt pacem deinde biluſtrem,
Obſcuræ tumulo cladis Mauorte ſepulto,
Frontem pacatâ meritam cingente corollâ,
Baâſa impar nimiùm ſtolidè congreſſus Achilli,

Vin-

Vincendi laudem potiùs, quàm bella gerendi
Obtulit; ablatis hoſtilis mœnibus vrbis,
Maſphan, & Gabaam ſibi propugnacula regni
Ex inimicorum expugnato rudere ſtruxit.
Diuerſa hic ſpecies, mundóque ignota triumphi;
Diruit hîc hoſtes, captiuáque mœnia duxit.
Nec tamen intactâ ceſſit ſine crimine vitâ,
Non virtus abs labe fuit, gens quippè Dauidis
Et genus. Idololatrûm cunabula cunctis
Finibus eiecit: ſed non excelſa profanis
Euertit fanis, dederant quæ montibus altis
Depreſſa ingenia. Hîc diſcat prudentia regum,
Hæreticis arces quantum indulgere perîclum.
Vix tela attingunt, ſerpens quò repere poſſit
Impietas. Et crimen habet, quod belligerando
Iſraêlem aduerſus, diuino humana fauori
Prætulit auxilia, & fœdus cum gente paciſcens
Aſſyriâ, exhauſit fuſis æraria nummis;
(Quantillum valet empta fides!) & iniqua Propheten
Fœdera nequìcquam damnantem paſſus iniquè
Præpedijt neruis, vatíſque orâcla probantes
Addixit gladio. Regem non carpere tutum,
Sit licet optimus. Æquam reddet talio ſortem,
Cum ſenio defecta graui ſua membra trienni
Correptus podagrâ, fellitæ ea filia bilis;
Namque pedes neruis vatis, quò clauderet ora,
Et linguam premeret captiuam, arctauerat ante:
Ipſe pedum captus neruis, de crimine pœnam,
Pœnâ contraxit crimen, cùm nempè leuamen
Nobilium medicos doctíque Machaönis artes
Iſta lues ludat, fruſtrà medicamine quærens
Irritam opem, non auxilium cæleſte popoſcit.
Ipſo hoc ridiculum fruſtrati nominis omen,

Quod

Quod medicis eguit medicus. Deîn crimina faſſus,
Difficilem pœnis nactus lectum, inſtar equûleî,
Membrifragâ nimis attritus torquente podagrâ,
Redditus ante obitum vitæ, virtute reſumptâ,
Struxit odorato viuus ſibi funera buſto,
Empyreum moriens vt prælibaret Olympum.
Virtus mirifico, cùm flagrat, fragrat odore.



JOSA-

IOSAPHAT,

Aſæ filius.

TRIBVNAL.

HAs ſcelerum, caue ſis, contingere conſcius oras.
Iudiciale ſolum hîc eſt, & cenſoria vallis:
Arbiter hîc Joſaphat, non exorabilis vlli
Vallem iuſtitiæ, non expugnabile vallum,
Aſſeruit; Judex tam verus, vt omnia noſcat,
Et nihil ignoret, tam inflexo iure ſeuerus,
Vt nihil ignoſcat. Teſtis ſiet integritatis
Cæleſtis zelus, quo prauâ à ſtirpe reuulſàs
Relliquias Idolûm excoxit. Lectus olympo
Diuini interpres iuris, mandata Deorum
E corde ipſe ſuo, cunctorum in pectora fudit,
Et legum tabulas cunctorum in pectore ſcripſit.
Juri inſpectores æquos prouidit vtrique,
Immotos, qualis vel territat Æacus vmbras;
Peccato intenti pellant ſurdâ aure precantes:
Tam leue queîs aurum, rectam curuare ſtateram,
Juſtitię vt nequeat, tam iuſto pondere ferrum,
Vt crimen feriat quoduis, vt & æqua ſecuris
Securos reddat ciues. Damníque rigorem
Plectendi æquauit vigor. Hâc ſtatione tribunal
Æquum, adeò poſuit, cenſendo vt legerit orbi
Ipſe locum Deus; & regna arcto milite ſeruans,
Excubias & præſidia arcibus, atque tribunos
Præſidijs ſtatuit, ſceleratis vndique nullus
Perfugio locus vt pateat, gladióque minante

Quod medicis eguit medicus. Deîn crimina faſſus,
Difficilem pœnis nactus lectum, inſtar equûleî,
Membrifragâ nimis attritus torquente podagrâ,
Redditus ante obitum vitæ, virtute reſumptâ,
Struxit odorato viuus ſibi funera buſto,
Empyreum moriens vt prælibaret Olympum.
Virtus mirifico, cùm flagrat, fragrat odore.



JOSA-

IOSAPHAT,

Aſæ filius.

TRIBVNAL.

HAs ſcelerum, caue ſis, contingere conſcius oras.
Iudiciale ſolum hîc eſt, & cenſoria vallis:
Arbiter hîc Joſaphat, non exorabilis vlli
Vallem iuſtitiæ, non expugnabile vallum,
Aſſeruit; Judex tam verus, vt omnia noſcat,
Et nihil ignoret, tam inflexo iure ſeuerus,
Vt nihil ignoſcat. Teſtis ſiet integritatis
Cæleſtis zelus, quo prauâ à ſtirpe reuulſas
Relliquias Idolûm excoxit. Lectus olympo
Diuini interpres iuris, mandata Deorum
E corde ipſe ſuo, cunctorum in pectora fudit,
Et legum tabulas cunctorum in pectore ſcripſit.
Juri inſpectores æquos prouidit vtrique,
Immotos, qualis vel territat Æacus vmbras;
Peccato intenti pellant ſurdâ aure precantes:
Tam leue queîs aurum, rectam curuare ſtateram,
Juſtitię vt nequeat, tam iuſto pondere ferrum,
Vt crimen feriat quoduis, vt & æqua ſecuris
Securos reddat ciues. Damníque rigorem
Plectendi æquauit vigor. Hâc ſtatione tribunal
Æquum adeò poſuit, cenſendo vt legerit orbi
Ipſe locum Deus; & regna arcto milite ſeruans,
Excubias & præſidia arcibus, atque tribunos
Præſidijs ſtatuit, ſceleratis vndique nullus
Perfugio locus vt pateat, gladióque minante

Digitized by Google

Obſtruxit fines, ſcelerum vt ſiet vltio finis;
Et fruſtrà fuga cùm trepidos ſeruare nocentes
Tentabit, noxas fugiant, & crimina vitent,
Vt vitam ſeruent. Noua deìn tutela, moduſque
Bellandi bellus, ſæuis nîl huîc opus armis:
Aſpectu vicit Galaad, cantuque Moabum,
Hebræis hoſtes placidùm modulantibus, acti
In furias, cæſi proprio Mauorte, ruêre:
Menſuram & numeros hi ſeruauêre canendo,
Momentis illi paribus ſenſêre cadendo.
Concordes chordæ diſcordia corda citârunt,
Confuſoſque ſono Andabatas mors Muſica riſit
Ad numeros cadere, & procul iſta amuſicus horrens
Mars fugit, tenſos neruos, arcuſque ſonantes
Neruo eneruari cytharæ, teneriſque lacertos
Eludi digitis, inter ſtricta arma timeri
Exermes cantus: O duri carmina fati!
Quid faciet iudex, cytharœdus ſuâue canendo
Cùm perimat? veniet non eluctabile tempus,
Abſque die ſuprema dies, quâ apparitor omnes
Angelus, expulſos tumulis has mittet in auras,
Vmbroſas fruſtrà oppandent montana latebras,
Huîc quæuis arcana foro manifeſta pateſcent;
Non lacrymæ vel opes, non mors ſubducere quemquam
Iudicio poterit, trutinę lanx lyncea iuſtæ.
Nullos excipiet: mundus tellure ſolutus
Diſruptâ, fractiſque cadet compagibus orbis,
Morſque antris dudum expoſcet, quos condidit atris;
Euomet abſorptos terra, & quos ante creauit.
Rurſùm hauſit, genitrix, nunquàm fœcundior edet,
Depoſitumque ſuum pandens, marmorque vetuſtum
Pignoráque à ſæclis in longam credita noctem,
Exonerata ſinu, vallêm conſidet in vnam.
Adraſtæa ferox acrem inſtigabit Erynnem,

Car-

Carnificeſque reos flammæ, quâ luce cremabunt,
Et tenebris ſcrutabuntur, ne quid ſit inultum,
Nil prorſus vaſtos ignes euadet inuſtum.
Proſpice, peccator, lugubris tempora finis,
Non cunctabundus veniet, cui ſubdita cuncta
Arbitrium expectant: cunctantem diſce vereri,
Fert formidandos aër diû nubilus imbres.

IORAM,

Ioſaphati Filius.

SENTENTIÆ.

IMpietas Joramo ataui tumulata recurrit.
Aulæ nempe freto vitiorum infeſta procellis
Aura fluit, reflua. Jmperium quam prênderet antè,
Innocuus viſus, ſpatium, quo ſceptra potitus,
Peſſimus octenne exegit. Non digna cruentat,
Ornat vbi immeritos, inſontem purpura vitam.
Fratres elatus primùm in faſtigia regni,
Suſtulit è viuis. Lex eſt iurata tyranno,
Quem timet, impatiens ſitit exhaurire cruorem,
Dum canit exequias, felix, nec lætior vmquam.
Sæuitiæ idolum cultum coniunxit, adorans
Infernum, quem auxit; viuorum, mortua præter,
Oſor, quid recolat? Coniux, ſcelerumque magiſtra
Obtigit Athalia, execrandus ſanguis Achabi.
Impietas ſæpe eſt dotalis; Coniugis ille,
Quàm patris exemplis, potiùs pellectus inhæſit.
(Sæpè adeò vxorem qui ducit, ducitur ipſe)
Maſcula femineis idolis thura litauit:
Oſcula ſæpe oris fiunt orâcla iubentis,
Jmperioque valent ſuadere ſuäuia molli.
Fatidicum Heliam, trepidans ad inania, ſpreuit,
Et metuit ſecura amens, riſitque timenda.
Hoc argumentum perituri noſce tyranni.
Vero euentu igitur monitum prædatur Jüdam,
Miles Arabs, regis regno delicta luente,

Vtque iret populus populante tyrannide liber,
Hoſtili indè iugo exceptus pereundo perire
Cogitur. Auctoris cladem, (ſolamen id vnum)
Clade leuare poteſt. Natis miſerùm ille peremptis,
Coniugibus raptis, cælebs, deſertus, & orbus,
Diuiſit letho, & viduo ſua funera lecto.
Soliuagus fleuit, quod durum, à nemine fletus;
Nempe tyrannus vbi lacrymas depromit, auenti
Propinat mulſum populo, plangendoque paſcit,
Quorum animum pridèm ſitibundus ſanguine pauit.
Acriùs vt vixit, morti ſeruatus acerbæ,
Ipſam animam cum viſceribus, vel ponè regeſſit,
Inde locum, quo habeant ignâui, intellige mentem.
Nec tumulo, aſt buſto caruit; præpoſtera ſors hæc
Quem meruit viuus, nec mortuus igne receptus,
Obtinuit terram, quam terruit, atque ſepultus
Diti vt luceret, vitæque extinctus & orbi eſt.
Maxima poſt obitum pœna, haud lucere, tyrannis.

OCHOZIAS,

Iorami filius.

IOAS,

Ochoziæ filius.

AMASIAS,

Ioäſi filius.

SAXIFRAGIVM.

HAs ſtatuas proauos inter Chriſti antè locatas,
Dum tacuit, fregit Matthæus. Reſpicit Achab,
Patrem execratum, iuſta hæc vindicta, nepotes
Cuî diris vates, à tertiâ origine, cunctos
Vouerat, vt ne fors Chriſti maioribus inter
Poſteritas eſſent Achab vitiata minores.
Exilium ergò luant, ſacrâ de ſtirpe reſecti,
Nomine, vt effigie, careant, vitâque probroſi,
Et vitijs ſimiles; primis prior îlicet annis,
Et medijs medius, ſenij poſtremus in æuo
Defecit: nîl fide pilis, ſunt crimina mentis.
Fugêrunt annis gladium puerilibus omnes,
Hoſtilem primus, maternumque alter, at iſte

Serui-

Seruilem, ſcelerum meſſem exſpectante ſecuri,
Dum matura eſſet. Laudari dignaque cuncti,
Laudari indigni, cœperunt; tempore primus
Exiguo, ſimulachra, Deos celebrauit inanes,
Occidit medius cultores, vltimus ipſa
Ne colerent, vetuit: cunctíque euerſa reuerſi
Reſtituêre idola, petiítque hoſtilia primus,
Aulica poſt illum, deîn patria tertius auxit.
Vatibus aduerſi, & diuûm monitoribus omnes,
Non ſibi ridentem primus deriſit Heliam,
Zachariam medius, cultus lapidum improperantem,
Saxeus in templo lapidauit, tertius ex his
Iniuſtam minitans mortem, dum iuſta minatur,
Eſaïæ, vatem fatis inhibere ſategit.
Res horum ſurgat moderamine publica regum?
Euertêre omnes; expôſto fœdere primus,
Emptâ pace alius, ſuſcepto ſponte duello
Tertius. Vt vigeant iſtis cultoribus aræ?
Deſeruit templum prior, exſpoliare ſecundus
Aggreſſus, paſſus demùm ſpoliarier alter.
Sublati coniurato enſe ignauiter omnes,
Dum latet hic, alter, dum ſtertit, tertius autem,
Cùm fugeret, rapuit mors turpem ingloria vitam,
Cunctorum vt nullos famæ legaret honores.
Omnes nempè mali, ſocijs non peior vt vnus,
Peiores omnis certârit peſſimus inter.
Ergo Matthæi calamo indignante perempti,
Et quaſi Iudæo fixi præcordia ferro,
Non viuos inter numerentur, neue ſepultos.
Ne reputa natos, quos nigra obliuio damnat.

OCHOZIAS,

Iorami filius.

IOAS,

Ochoziæ filius.

AMASIAS,

Ioäſi filius.

SAXIFRAGIVM.

HAs ſtatuas proauos inter Chriſti antè locatas,
Dum tacuit, fregit Matthæus. Reſpicit Achab,
Patrem execratum, iuſta hæc vindicta, nepotes
Cuî diris vates, à tertiâ origine, cunctos
Vouerat, vt ne fors Chriſti maioribus inter
Poſteritas eſſent Achab vitiata minores.
Exilium ergò luant, ſacrâ de ſtirpe reſecti,
Nomine, vt effigie, careant, vitâque probroſi,
Et vitijs ſimiles; primis prior îlicet annis,
Et medijs medius, ſenij poſtremus in æuo
Defecit: nîl fide pilis, ſunt crimina mentis.
Fugêrunt annis gladium puerilibus omnes,
Hoſtilem primus, maternumque alter, at iſte

Serui-

Seruilem, ſcelerum meſſem exſpectante ſecuri,
Dum matura eſſet. Laudari dignáque cuncti,
Laudari indigni, cœperunt; tempore primus
Exiguo, ſimulachra, Deos celebrauit inanes,
Occidit medius cultores, vltimus ipſa
Ne colerent, vetuit: cunctíque euerſa reuerſi
Reſtituêre idola, petiítque hoſtilia primus,
Aulica poſt illum, deîn patria tertius auxit.
Vatibus aduerſi, & diuûm monitoribus omnes,
Non ſibi ridentem primus deriſit Heliam,
Zachariam medius, cultus lapidum improperantem,
Saxeus in templo lapidauit, tertius ex his
Iniuſtam minitans mortem, dum iuſta minatur,
Eſaïæ, vatem fatis inhibere ſategit.
Res horum ſurgat moderamine publica regum?
Euertêre omnes; expôſto fœdere primus,
Emptâ pace alius, ſuſcepto ſponte duello
Tertius. Vt vigeant iſtis cultoribus aræ?
Deſeruit templum prior, exſpoliare ſecundus
Aggreſſus, paſſus demùm ſpoliarier alter.
Sublati coniurato enſe ignauiter omnes,
Dum latet hic, alter, dum ſtertit, tertius autem,
Cùm fugeret, rapuit mors turpem ingloria vitam,
Cunctorum vt nullos famæ legaret honores.
Omnes nempè mali, ſocijs non peior vt vnus,
Peiores omnis certârit peſſimus inter.
Ergo Matthæi calamo indignante perempti,
Et quaſi Iudæo fixi præcordiâ ferro,
Non viuos inter numerentur, néue ſepultos.
Ne reputa natos, quos nigra obliuio damnat.

O Z I A S,

Amaſiæ filius.

G R Y P H V S.

HOc tumulo, ſed non tumulo, ſine funere funus
Agricolæ regis iacuit, viuumque cadauer,
Nec rurſùm iacuit, victus, victórque, colendo
Contempſiſſe Deum reus, & per vulnera vitam
Læſus vt illęſam ſeruaret, qui moriendo
Conualuit, letho morbi donante medelam.
Cùm fugeret demùm viuos, fugêre ſepulti.
Obſcura attonitus voluis monumenta viator,
At ſiſte, exponam. Judæ hic regnator Oſias,
Qui vitia euitans vrbana, ſuburbia legit.
Principe ſub tanto ſceptrum regale renaſcens,
Inque ſuos ortus rediјt; faſceſque vetuſtos
Paſtorale pedum; terramque ſubegit aratro,
Felicem inſoliti pompæ parere triumphi,
Fœcundâque aluo ſeſe confeſſa beatam,
Agricolæ trabeato vectigalia ſoluit
Prompta regi tellus, Carmeli vitibus inque
Gemmantes ſurcli vegetata monilia dextrâ
Regali extulerunt. Reges audite ſuperbi;
Quid velut immiſſo faciente examina cribro
Colligitis fuluum cineratis vrbibus aurum?
Sincerum tellus lucrum, veræque fodinæ
Sunt ſulci: huîc operæ tolerans ſua fœnora ſpondet,
Culmine non altùm defoſſa minante ruinam,
Et meliùs patitur iunctis exercita bobus,

Et promit largos humus humaniſſima fœtus,
Diuitias lentâ ingentes radice propagans,
Se largita, hominumque altrix, & alumna miniſtrat,
Et ſitiens frugem benè pota feracibus vndis,
Nutrita, enutrit: veteres huic fœnora reges,
Et meritò ſua credebant, æraria regnis
Horrea erant, loculíque ſcrobes, & falce putatos,
Nec falſos cenſus, maternáque dona ſecabant:
Jam terram dedignantur, quos terra creauit,
Quam nollent colere, & fermè calcare recuſant,
Tellurem, pro quâ pugnant, atque arua peroſi:
Nempè vt ſecernat ſtrata inter purpura matrem,
Molliáque aulæis ponant veſtigia preſſis.
Principum opes exinde nimis ſors lubrica difflat,
Quòd radice carent. Nimirùm à Iaſone Plutus
Gignitur & Cerere, & ſegetes, & vellera proſunt,
Quíque colit, cultu gemino ſuccreſcit vtrìmque.
Non vomer, non huic rubigine torpuit enſis,
Sedulus aſt cultor Cereris, pullúſque Gradiui,
Materiem ferrum mortis, cędendo, ſecando
Exacuit, terráſque modo ſuperauit vtroque,
Philiſtiîn, Arabas, & quos eduxerat Ammon,
Armipotens, animíque iugauit, vt antè iuuencos.
Hoſtiles vrbes Gethum, Jabriamque & Aſotum,
Non aliter, ſolito ſecuit quàm vomere glebas:
Et ceu quondam in agris terrebat tragula vulpes,
Baliſtis hoſtes miſſis irrupit, & vrbes,
Et ſegetum & capitum meſſor, Ceteríſque nouâclam
Cædibus aptauit, velut agros, raſit & hoſtes.
Inque arma ex aruis, éque his diuortit in arua,
Meſſuit his oleas, armis quas ſeuerat olim.
Aſt vtinam ſemper proprias! victricibus auris
Diſtentus nimiùm (morbus felicibus ille eſt)
Jura ſacerdotiî inuaſit, vittáſque tiaræ

Miſcuit inuitas, & thura crepantia flammis
Præſumpto adiecit cultu, manibúſque profanis;
O quàm aſſumpta parum decuit te, Villice, mitra!
Hem, non ara tibi, potiùs quadraret aratrum.
Flamma ſuperueniet fumo, furor ambitioni.
Flagitio duplicem cumulans iniuriam in vno,
Arrogat ipſe ſibi, rogat, & culpam irrogat æthræ:
Thure dato, cælum poſtquam turbauit & aras,
Thuribulo exturbat Myſtas, aſt vltio prompta
Opprobrium abrupit, quæ cinxerat infula, lepra
Tempora graſſatur, ſubitò frons regia ſordet,
Percuſſéque ruunt icto de vertice vittæ.
Pontificem hæc talem nimirùm lâmna decebat.
Et tellus orto tremefacta repentè fragore,
Ipſa ſuo forſàn centro fugitura, ſacerdos
Nî fugeret templis. Incerta ô gaudia, reges!
Inſtabili terrâ ſtatis. Tremebundus Oſias
Ex templò è templo reſiliit, tellure tremente,
Quâ ſtabat, terrefactus diffugit ab aris.
Tandemque exauthoratus regnóque ſacríſque,
Exceſſit viuis, quàm vitâ excederet antè:
Corpore viuo, inter tumulatus tædia vitæ,
Soliuagos funeſtauit lugendo penates,
Et longam ducens, viuoque cadauere mortem,
Poſthumus ipſe ſibi, ſeróque emortuus, agro
Dignanti exceptus, tumulo interdictus auito,
Quæ viuus coluit, poſt mortem conditus aruis.
Mors cineres tumulis viſa eſt arcere ſuperbos,
Ne turbaturas tranquillis manibus vmbras
Inuida miſceret, ſic fœda ſuperbia mortis
Sentinam vincit fœtore. Scientia Gryphi
Vulgata eſt. Ducit quà ſemita, perge Viator.

IOATHAN,

Oſiæ filius.

LEGATIO.

HVc fama in notos regum leganda penates,
Vno conſilia exemplo ſectanda vehendo
Magna dabis. Regis Joathani regibus effer
Virtutes, patri viuo vt ſucceſſerit hæres
Prima ætate puer, feſſóque adnixus Athlanti,
Integer Alcides, vidui ſpes integra regni,
Acclinans caput, vt defecta quieſceret olim
Jam ceruix patri. Patrem ter prole beatum!
Qui viuens, annis dudùm, vitâque peractâ,
Virtutes ſucceſſoris ſpectando, renaſcens,
Pluſquàm ſperâſſet, vidit, prolique ſuperſtes,
Victuris abiens obijt poſt buſta triumphis.
Felix patre puer! cuius dimittere frontem
Aſpectu doctus, didicitque, tumore magiſtro,
Eſſe humilem, morboque caput (quis crederet?) vnum
Sanatum alterius. Diuina orâcla loquentùm
Adde vt Iſaiæ, Zachariæ, Oſeæ & Amoſi,
Nobilibus ſceptrum ſpectris ſubmiſſus, obaudiît,
Rectúmque inſiſtens recto moderamine rexit.
Fruſtrà aulæ ſeruit, qui non captiua ſolutâ
Verba refert linguâ, qui vitam impendere vero
Sincerus poſſit: priuatæ ſortis alumna eſt
Incorrupta fides, & non niſi cælitùs intrat
Lâpſa aulas regum, vt meritò Ioue nata putetur.
Enarra, per quàm puros diducta canales,

Huic

Huîc ſolùm vacui Regis poſſederit aures:
Et quàm propitio bellator numine fortis,
Coniuratorum calcauit fœdera regum
Iſraêlis, Syriæque, & dudùm cæduus armis
Collatis Ammon cecidit. Quod vulneris expers,
Expertem nunquam vibrauit vulneris haſtam,
Ferro æquo cùm pugnaret, nîl cuſpidis enſis
Aduerſæ potuit, iuſtas victoria partes
Militiam inſontem! ſtudio conſtante ſecuta eſt,
Rectiùs vt collimaret, qui rectior eſſet:
Et ſolùm diſcreta nocentibus arma nocerent.
Mox, vbi militiam; ciueſque forumque recenſe,
Intuta vt circùm ſanctæ muniuerit vrbis,
Lapſa inſtaurârit, molles nec tollere moles,
Maiores, ſimileſque ſibi labor arduus vrſit;
Vtque domum, Dominus, Dominum domus ipſa referret,
Turrim Ophel ſuprà nubes poli in ardua vexit,
Idæam vultus regiî ſemperque ſereni.
Et portam ædificans, nimio ſumptu æris & auri,
Veſtibulum inſtituit, ſpecioſaque limina templi:
An ſpecioſa magis, ſpatioſa ne? fornice ſtructo
Æternas Petri laudes, arcuque triumphos
Perpetuo inſcripſit, ſæclis vt petra futuris
Enarret Petrum; cuius veſtigia claudus
Ponè ſequens rectoque gradu, ne tam ſpecioſum
Ingreſſum inceſſu inficiat, myſteria firmæ
Firmatus fidei referens. Hoc Principe, vulga,
Vt vomuit, quæcumque vorax abſumpſerat ætas,
Et ſolidum magè reſtituit; non dixeris vllus,
Collapſas ædes, verùm, vt ſublimiùs irent,
Spontè inclinatas. Deîn magnificentia iuſto
Carmine crebreſcat, quâ ſtruxit ciuibus vrbes,
Agreſteſque caſas, fecitque mapalia ruri,
Præſidio illas, ſubſidio has, per mixta ligones

Officia vt gladijs prodeſſe, ligonibus enſes
Inque vicem valeant, certetque reciproca virtus,
Altoréſque agros altus tueatur alumnus,
Tutores illi paſcant, alternaque pugnent
Obſequia, & ſtabili regnum ſit vtrìmque vigore.
Stant vrbes agris, pariter ſtant vrbibus agri,
Poſt humileſque caſas, pereunt cum mœnibus arces.
Poſt hæc elogia altùm ex imo corde gemiſce,
Indulgens nimiùm, & quàm formidabilis hoſti,
Tam blandus, nocui tolerauit crimina vulgi;
Elinguis ductor, non obiurgauit euntem
Poſt idola gregem. Prô! quantò gloria maior,
Si delubra ſolo æquaſſet, quàm culmina cælo
Turrita æquârit! mirabere vulgus adulans,
Regem an adulantem? qui byſſina verba propinans,
Caſtigare cauens, duriſue offendere dictis,
Purpureis populum complexus molliter vlnis,
Innumeráſque animas tacitâ bonitate peremit.
Admoneas demùm Reges, antè omnia curæ
Rem Diuinam habeant, nîl caſtigare nocentes
Diſſimulent, ſcelerumque æquas decernere pœnas?
Exemplum eiurent Ioathan, qui ſtrenuus actis,
At verbis mollis, fecit, non fortia dixit.



ACHAZ,

ACHAZ,

Ioathani Filius.

HISTORIA.

Siquis amicitias reputat benè facta parare,
Hiſtoriam legat hanc: ſolio diuinitùs Achaz
Euectus Iudæ, ipſe Deum quò perderet, omnem
Commouit lapidem, diuiſo dæmonas inter,
Et lapides cultu, ſibi numina plura creauit,
Vt nullum faceret. Regni lapidâſſe datorem
Sed viſum leuiùs, præacuto vt pungeret œſtro,
Eſſe Deum voluit muſcam, annmerandus & iſtis
Ipſe dijs, nimirum excors, aterque, moleſtus.
Prô! miſereſcentis quanta eſt dignatio cœli!
Quæ noxas dudùm tardeque peroſa nocentem,
Prole hoſtem cumulat, fortè vt per munera vincat,
Duritiemque animi expugnet, cordiſque rebellis
Molliat aduerſum nitens molimen, at ille
Largitis donis magis impugnauit olympum,
Demerituſque malis meritum, combuſſit ad aras
Acceptum cælo natum, Ditique litauit;
Arſitque inuitis ambuſtus ab ignibus infans,
Vagitus nigras fumo voluente per auras,
Et luctante foco luctantem animam exhalauit.
Impietas patrem vicit; feralis, in orcum
Inferias ſibi præmiſit, tremefactus Auernus
Vix ſcelus admiſit, legataque dona ſtupentes
Pauêre Eumenides; munduſque hoc territus æſtu:
Horrificum populis ſparſêre incendia frigus,

Atque Thyeſthæam lux deteſtata coquinam,
Abnuit aſpectum. Quanta eſt violentia prauis
Conſilijs! gelidam in mortem via, peruius ignis,
Vitalem inuenta eſt quæ exſtinguat flamma calorem.
Nomen & exemplum inferno, formidinis orco
Non fuerat ſatis, vt fieret ſpectabile mundo
Tormentum, terris nata & renouata gehenna eſt:
Vtrobique atro flagrabit victima Diti.
Infernis peior, peiores ignibus ignes,
Quæ coquerent flammas pœnæ ſibi buſta perennis,
Præcoxit demens nimium; ſua viſcera torrens,
Nati infauſtam animam pater execrabilis egit:
Quamque immorigerus vitam produxerat ardor,
Jgni reſtinxit. Nil tardans, vindice cælo,
Corripuit Nemeſis, Syrię Iſraêliſque Dynaſtas,
Vltores miſit. Quin cunctantem ipſe morando
Demeruiſſe Deus ſtuduit; legauit Eſaiam
Sponderet pugnæ indubium felicis vt omen,
Quoduis prodigium: ille Dei, ceu pignora pugnæ
Promiſit natum: toties miſeratio Diûum
Jrrita, nondum irritata eſt. Oracula ſpreuit,
Et luſit vatem, ſtultè indignatus, vt ipſum
Progenie abijceret Numen: dubium, anne ſacrando
Fortè Deum diti, nati appoſuiſſet ad vmbras,
Si data vatidicos celeraſſent tempora partus.
Auxilijs Diuûm, & cæleſti milite ſpreto,
Aſſyrij ſtolidus regis magè fiſus in armis,
Nec malè (mendaci mendax ſe credidit alter)
Tutelæ pretium, profuſa æraria, pandit,
Vix impleuerunt nimium ſacra æra tributum,
Taxauit vitam pacto, dedit hoſtibus omne,
Quod poterant rapere, & ſeſe ſpoliando, peregit,
Ne ſpoliaretur. Nudati limina templi
Protinus occluſit, ſpoliatum carcere damnans

Fortè Deum, vt ſolus meliùs iam victor ouaret.
Deſpexit, quæ diſpexit, deliria cœlum:
Et coniuratis plectendum tradidit armis;
Dudùm perdendum meliùs vis perdita perdet.
Iuerat Aſſyriæ protectus milite in hoſtes,
Hoſtibus attritis, proprijs demùm ipſe teratur
Auxilijs, vt ſe diſcat maioribus vti
Suppetijs. Mala cùm ſuperat, fit nempè grauamen,
Vtilitas medij: damnoſa ſuperflua vis eſt;
Inque ſuos tandem furiarum detonat imbres
Authores Mauors, & claudit clade triumphos.
Fors vel nunc reſipiſcat? quin magè deſipit indè,
Perpunctuſque ſuâ muſcâ, ſe deuouet vltrò
Damaſci Idolis, quique implorauerat Aſſur,
Aduerſus Syriam, iam numina vana Syrorum,
Aſſyrios contrà, inclamat: quondam eſſe ſaluti
Ilicet illa ſuis vidit, patientia diuûm
Læſa eſt, deſperans decreuit perdere tandem,
Seruari qui nolebat. Vitæ inter vtramque
Inuenit finem metam. Tumulatus, at extrà,
Quo caruit, tumulum (quis enim pia iuſta parentans
Iniuſto faciat?) flammiſque, locóque gehennæ,
Cui nomen dederat, furuæ iacuêre fauillæ.
Sic fiat, benè qui factis malè facta rependunt.

EZE-

Digitized by Google

EZECHIAS,

Achaſi Filius.

INDEX.

INdicem habes, lector, geſtarum hoc principe rerum.
Sub natalem vrbis Romanæ, naſcitur Achaz
Filius Ezechias, quondam pater optimus illi,
Peſſimus huic genitor, dabit & peiora, priores
Sorte imitante vices, genitor licet optimus, orbi
Germina. Sic teſſellatim fortuna propagat,
Et bona miſta malis parit, & diſcrimine certo
Nutando, conſtantèr iniqua interpolat æquis.
Hic ſanctæ matris meliora exempla ſecutus,
Degenerem ſpreuit patrem, ne degener eſſet:
Illa vxor nimis infelix, materque beata,
Pro votis ſobolem eſt inuiſo nacta marito,
Jnuitaque pium genuit patris impietate;
Inferno abdidit ille vnum, hæc cælo edidit vnum.
Illuſtris creuit luſtris vbi quinque peractis,
Jmpoſuit ſceptro florem, quem perdere reges
Abijciunt faciles. Primo anno templa recluſit,
Et præter regem, ſanctum nil limen apertum
Aſpexit. Moſis colubrum quandòque ſalubrem,
Viribus à cælo fortem, iam virus habentem,
Cùm vetus in vetitis probrum veteraſceret agris,
Ardenſque oblato biberet ſibi thure venenum,
Eiecit. Mox anno, animoque impulſus eodem,
Sculptilia in Cedron ſparſit; fors abluat iſto
Flumine flagitium; quin & modulantia ſacris

 Orga-

Orgaña reſtituit, connexo vtrìmque labore:
Nàm Cedron dolor eſt, lacrymas idola popelli
Errantis biberant; ciues cecinêre ſoluti;
Flumine flente, Deos, abſorptos tot Pharaones,
Quot poſt ſe tuti demergi idola tuentes.
Infernos geminans hîc Antiperiſthaſis ignes,
Per noua ſublatos incendia dæmonas vſſit:
Nuper adorati lapides, ſcopulíque ſuorum,
Queîs graue ſupplicium ferrent, pro ſupplice cultu,
Sulphuream pro thure ſtygem; periêre viciſsìm
Naufraga naufragio ſaxa. At nec ſubſtitit ingens
Hîc animi virtus, & tam molimine dextra,
Quàm demoliri fortis. Subeuntibus annis,
In pacis blando ſtudium moderamine verſus,
Cùm partes agerent diuerſa in fœdera Iudam,
Non infacundi vulgum compeſcuit oris
Arbiter, & varias vniît dicendo phalanges.
Nîl minùs orator ſuadelâ Amphione fortis,
Hîc potuit reparare, vrbem, ille canendo parare.
Cùm celebris Solymis eſſent ſolemnia Paſchæ,
Diuiduas ad ſacra tribus, & ſchiſmate ſectas
Alliciens, Iſraëlem coniunxit Iüdæ:
Conuiuas Agnus faceret Paſchalis vt agnos,
Integráque idolis eſſet concordia fractis.
De plantarum vſu Salomonis ſcripta recenſens,
Combuſſit; fruſtrà nam quærebatur ab hortis,
E terrâque ſalus, cælo miſerante petenda.
Expreſſo herbarum ſucco ſua membra leuabant,
Cùm ſitiens animus lacrymarum poſceret imbres,
Gnarus, quod nullis noxa eſt medicabilis herbis.
Cùm prurit, virus, cùm flet, pupilla medela eſt,
Eque oculo pendet facili mors prompta, ſaluſque.
Hâc igitur flammâ ars perijt, ſpes ſancta reuixit.
Iamque annis auctis, auctâ pietate ſacrorum,

Omnia munificus, condendis horrea templi
Laxauit donis. Virtus frugi eſſe probatur,
Quippè & opes ſacras, qui ſanctè operatur, adauget:
Imperij ſuſcepti annus bìs ſeptimus ibat,
Nempè Clymactericus: tentata eſt regia virtus,
Vt ſpecimen donando ſui ſpectabilis iret,
Euertens, ac euerrens Sennacherib Aſſur
Judæam irrupit, citiùs, quàm viderat, arces
Peruadens, pacis ſedes poſſederat horror,
Exilia, excidia, & cædes, furiæque Gradiui.
Quantâ porrò acie, quæris? contecta tremebat
Terribili tellus ſub milite, ſudor ariſtis
Horrificus ſummis pendebat, culmina montes
Depreſſi, & lymphas epota fluenta negabant.
Quîs pugnatum armis? tot millibus armatorum
Ter centum obſtiterunt auri & triginta talenta,
Ceſſerunt nummis armamentaria, & omni
Tota exercitui templorum æraria pandens
Obiecit, nempe vt ſeruent, ſeruantur & ipſæ
Sacrorum Gazæ. Genitor ſic præiuerat olim,
Jmpare ſed ſtudio, templum ſiquidem ille timebat,
Pro templo hic timuit. Sed eodem finibus anno
Extremo armorum Libycis recruduit æſtus.
Quæque infanda minabatur Sennacherib, at rex
Ad ſacra confugit, meliùs pia vota, preceſque
Pugnabunt, queîs indomitæ proteruia linguæ,
Tellurem, inuitas demùm mordebit habenas.
Templi olim pretio, prece nunc certauit, arenam
Felicem poſcens aris, certamine felix,
Pugnacem linguâ, linguâ expugnauit, & orans,
Cor ſupplex, hoſtis compeſcuit ora ſuperbi
Quìn ſomno vicit, fruſtraque ſatellite cinctum,
Septumque excubijs, deſertum depulit hoſtem:
Indelecta manus pugnans cæleſtibus armis,

Trans noctis tenebras totum cùm perculit agmen,
Angelicoque ſtygis gladio cecidêre cohortes;
Centum octoginta Aſſyriorum millia, ſomnus
Vnâ germanæ legauit nocte ſorori.
Attonitus nocturnæ inter ſpectacula cladis
Diriguit, nec iam ductor, niſi duceret vmbras,
Sanguineam cœtum in cædem ſine ſanguine cogens.
Ponè ſecuturus, patrias remeauit in oras
Effugiens loca, quæ vindex vaſtauerat enſis;
Fortè explorauit ſi poſſet tutiùs indè
Blaſphemæ in cælum conuicia mittere linguæ.
Communis quem præterijt vindicta, peremit
Infamis meritum fati: nîl æqua remittit,
Cùm differt, tardans miſeratio, at vltio lenta
Sæpe venit grauior; pater ante idola, litante
Occiſus nato, potauit ſanguine Ditem.
Hoc forſan ſtudio, ſi gratior hoſtia, nati
Mactatus manibus, cumularet crimine crimen,
Orci holocautoma. Amplis Rex ſucceſſibus auctus,
Auxilijs ſeu proſternat cęleſtibus hoſtes,
Seu pro ſe, contráque ſuos, expugnet Auernus,
Et perimat dignos, indigniſque immolet aris.
Tota importuno perijt ſed gloria morbo;
Dirùm ægrotauit, tumidoque ex vlcere pectus
Elatum tumidos docuit proſcribere faſtus.
Nuncius Eſaias tremulum formidine lethi
Terruit; ille preces iterumque in vota profugit,
Perfugio quondam quem admiſerat ara benigno,
Auxilium implorauit idem, in lacrymaſque ſolutus,
Non diſſoluendus ſoluit pia vota. Salubres
O lacrymæ! pueri primæ naſcentis in ortu,
Vltima vita, quies moribundis, ſpeſque ſalutis:
Incipit, aut recipit vitam, qui lumina flendo
Largiùs irrorat; vitæ auſpex, lacryma, mutas,

Et meliùs vitam finis. Tria luſtra peractæ
Terrores aſſuta leuant ad ſtamina vitæ,
Illuſtris pacti teſtis ſol ipſe vocatur;
Spectator teſtis, ſignóque probare coactus,
Suſpenſóque Deûm iuſſus ſubſcribere fato,
Retrò ſtylo fugit, & decimatam lineæ vmbram,
Atque viam, & vitam renouat. Quid rebus in orbe,
Heu! ſtabile humanis? ætatem horaria voluunt,
Lineáque eſt annus, vita vmbræ deſinit inſtar;
At lethalem vmbram, cuius contactibus omnis
Linea deletur, pariter, cùm proficit, vnà
Deficit, & tacitâ iacturâ fallit euntes.
Luna renaſcentem cùm bis ſinuauerat orbem,
Eſſe ratus nîl diuitias, roburque potentis
Occultum regni, ingentis vulgare per orbem
Fortunæ libuit dotes: quos legerat ergò
Legatos Babylon, irritamenta propinans,
Delicias & opes, regni iam proditor ipſe,
Exploratores fecit, populumque rapacem
Sollicitans inuitauit, ſibi viſa referre,
Quæ mallent quandoque auidi ſpolia ampla referre.
O rigidam regum ſortem! diſcrimina quanta
Tantillum excipiunt crimen! funeſtior inter
Eſaias venit legatus, fataque vates
Indixit, natis capturam, opibuſque ruinam.
Tanta, leuis quamquam, fuit oſtentatio, noxa.
Lethales ô opes! quas nec celare beatum,
Nec tutum proferre. O vitæ lacryma origo.
Aut celata animo, aut oculis prolata. Rediuit
Iſtum ad Panchreſtum Rex afflictiſſimus, & ſe
Trans oculos iaciens, turbataque pectora plangens,
Delubro penitùs merſit delicta ſalubri,
Viribus his ſuperûm vindictam, vinxit, & iram.
Felices iterum lacrymæ, cælique potentes!

 O taci-

O tacitæ voces oculorum , vocis ocelli ,
Facundo & fœcundo humore ſuäuè natantes ,
Iacturâ abs caditis , mentemque cadendo leuatis.
Vt diues fias, largè illam prodige mercem.
Piſcinas exin, fontes , Neptunia regna ,
Et ductus pandit ; lacrymarum exempla ſuarum ,
Per quas tandem animus ſublime enauit , Olympum,
Lætumque emenſo ſubiens pro flumine portum.
Conferri Dauid , præferri an dignior ? æquè hic
Deliquit minùs , & fecit maiora Dauide :
Diſſimiles, luctus ſimiles , niſi fecerit ambos.

MANAS-

MANASSES,

Ezechiæ Filius.

EXOMOLOGESIS.

SVmme Deus, rerumque opifex, opiferque reorum,
Plorantem exaudi pius, & ſuſpende minantem
Tantiſper Nemeſin. Aſpectus aſtra recuſant
Immeritos, deteſtantes mea crimina teſtes.
Et video, & vereor, cælumque coire globoſum
Contuor, vt tectum piceâ caligine vultus,
Irato flammas horrentes detonet axe.
Cuncta indignantis commotam vindicis iram
Obuerſant, vix ipſa tremens ſub poplite tellus
Sacrilegum patitur. Juſtos compone timores,
Præſtrictas laxet melior fiducia fauces.
O clemens Deus! His aures aduerte querelis:
Attritum miſerans, liber captum, éque catenis
Rex audi regem: rationem in crimina ſtringo
Accuſans, reus, & vindex: ſi ſupplice voto
Ira remolleſcat, ſi quid confeſſio poſſit
Et ſcatebras ſcelerum, & veterato corde latebras
Expurgare queat: quæ ſpectas ſolus ab alto
O! audi ſolus, ſaltem aut deſiſte videre,
Quæ piget audire, ac oculos ſimul impedi, & aures.
Jlle ego Manaſſes, ille orbis veſper Eoï,
Jn lucem veni, lucem fœdare, probroſâ
Conſpectum cęli, mundumque inceſſere vitâ.
Conceptus lethale nefas concepi, animoque,
Dum primo latuit captiuus cortice carnis,

Peſſima promittens, te cœpi odiſſe, priuſquàm
Nouiſſem, & velutì proſerpens vipera, matris
Hoſpitium torſi, magnum ratus, auſpice vitâ,
Nondum prognátum, prægnanti poſſe nocere.
Vbera tentaui, pendens à ſumine, morſu,
Jam ſitiens auidum, præ lacte, haurire cruorem.
Quod dederat generis mihi circumciſio ſignum,
Degener in peius conuerti, ortuſque piâclum
Opprobrio vitæ intorſi; Veneríque cruorem
Effuſum potiùs ſacraui. Infandus, & infans,
Paruuſque, & prauus creui, execratio, primæ
Vagitus mihi voces. Heu! nil, linea præter,
Tum vidi candens, habuit nil vita pudicum;
Ipſa cruentaui cunabula, vt indè profectos
Sanguinei ſurgens ſignarem tramitis annos;
Albens, quam video, tegeret dum ſindo cadauer:
Solum album vitæ limen, limenque ſepulchri,
Cætera damnaui nigrâ fuligine morum.
Optanti dudùm nondum vis apta nocere;
Fortuna ex voto, properauit: cum duodenni
Commiſit gladium, nimiumque potens, nimis impos,
Et terrens proceres puer, vt qui fulguris inſtar,
Fulgorem attoniti ſubitæ expauêre tiaræ.
Quò leuior, regno grauior, populóque, Deóque.
Immemor humani iuris, ſuperûmque, meíque,
Vt meritum dederit Manaſſi obliuio nomen.
Vna fuit mihi lex, exlegem viuere. Durus,
Difficilis, duxi inuidiam, ſi fortè rogarer,
Rurſùm, contemni impatiens, ſi nemo rogaret,
Iniuſtuſque vt inhumanus; qui cuncta licere
Indulgens alijs, alijs nihil: impietati
Perfidiam iunxi, patriâ virtute repulsâ
Ambitus, & ſtudij veſanus tiro maligni,
Vix adeò potui, quàm degenerare ſategi,

Recta

Recta ſequi regem puduit, ſed gloria, quæque
Peſſima poſſe ſequi: retuliſque hoc filius vno
Exemplum patris, vitia in contraria currens,
Inuerſum expreſſi. Tua Diti altaria ſacrans,
Quæcumque intulerat, repuli, quæque abſtulit aris,
Reſtitui, demenſque à te quò longiùs irem,
Parua ſuperſtitio viſa eſt, niſi & Atheus eſſem,
Coniungens animo duo ſeiunctiſſima eodem.
Aras fundaui, quas ſuſtulit ille, Priapo,
Sacrilegè, & laſciuè, vt cælo cultus ademptus,
Sacrorum iura, & Veneri tua thura darentur.
Diruerat genitor priùs olim excelſa, refeci,
Relligio vt de præcipiti magè contereretur.
Has inter ſordes cœnoſus, turpè volutans,
Saucius, inſanus, vanos ſectando planetas,
Errani errones, quò non, heu! deuius erro!
Atque horum templi ſimulachris atria ſtipans,
Aſtra tua vt fierent te coràm odioſa, faceſque
Inuiſę, inueni: elegi malè credulus eſſe
Auſpicijs & aruſpicijs, pennáſque volùcrum,
Et fibras potiùs veras pecudum eſſe putaui,
Quàm legis tabulas, quæ ſemper fabula viſa eſt.
Hoc meritò fateor, nequaquàm falſus in illo,
Me magè quod ſtolidum brutis & mentis inanem,
Cùm bruta audirem, feci. Pythona, ſtrigeſque,
Arioloſque, Magoſque colens, & Dæmonas, orco
Auxilium petij, qui te toto orbe fugarent.
Haùd omnem penitùs deleui Religionem,
Tantùm immutaui, quò irrelligioſior eſſem:
Sideráque, & lapides, furias, animantia, ligna,
Quodlibet eſſe Deum volui, tu dummodò nullus,
Qui ſolus Deus es, fieres. Creſcentibus annis
Iam ſenior, nec ſanior; & titubare ſeniles
Quid mirum greſſus, quos tota iuuentâ caducâ

Sæpe ruendo lue infecit? correctio ſerò
Sero æuo petitur; plantis corrupta malignos
Annoſis ſuccos radix violentiùs effert.
Vt fierem demùm crudelis, defuit vnum hoc:
Qui ſuperûm cultus furibundo calce ruebam,
Humana attererem geminato iura furore.
Per ſua credulitas mea me ſuffragia iuuit,
Quot mihi diſſimiles vidi, hoſtes eſſe putaui,
Ne fierent ſimiles, enſis liuore putaui:
Iræ materiam feci, inuidiæque decorem;
Multiplicans hoſtes tollendo, fœnora duxi
Funera, quìn plures creuit cædendo voluptas.
Meque timeri quod ſcirem, ferus, vtque timerer,
Viſa eſt prima ſalus, omnem ablegare timorem.
Exoſâ præcluſi animam cum voce Prophetis,
Diſſecui Iſaiam ſerrà, mediumque dolaui,
Vt ſaltem lædendo tuos te lædere poſſem.
Duritiem ſi naturæ vel flamma probaret,
Combuſſi genitor natos in Valle gehennæ,
Lætus quod nec auo melior, nec mollior ipſo
Teſte rogo fierem. Tot te, clementia cœli,
Criminibus lentam in pœnam violenter adegi,
Perdere te dudùm meditans, niſi perderer ipſe:
Viciſti; ſed parta meum eſt victoria lucrum.
Vtilis ô clades! ego ſurrexiſſe cadendo
Felix, tu miſerum clemens vincendo leuâſſe.
Immiſſus Babylon, frænare tyrannidis vſum
Et regem, ſat nulla grauis cui viſa tyrannis.
Heu fruſtrà victus, vinctuſque ergaſtula circum,
Amiſſum memet, mea perdita quæro, meoſque.
Pœnarum ſat victor habes! ſpolia inter opima,
Ecce catenatum regem, lacrymiſque ſolutum:
Mitis es, vt parcas, perimente dolore reatum,
Viuificante reum. Numero quot crimina, fletus

Innumeri abſtergant, luctus abeam inque dolores!
Ipſa patrocinium ſcelerum mihi copia ſpondet,
Non niſi ab inſano potuerunt tanta patrari.
Mitiùs, ô Diuûm clementia! poſco tribunal;
Quique author quondam commiſſi criminis, index,
Adſum accuſator. Parcendo exercite Judex,
Ter bone, ter ſumme, ô tua nunc miracula pande;
Aſpicis inſultant tumidi victoriâ vt hoſtes,
Inualidumque Deum, deſertoremque ſuorum
Præualidi irrident: non eſt tibi proprius vſus,
Vt ſcelus opponas ſceleri, populumque alienum
Exitio recrees electæ gentis, auitam
Heu! mihi redde vrbem, Reges delicta gemendo
Quondam vbi delere aſſuêrunt; vlulabo, domúſque
Deſolatum omnis reſonabit regia leſſum.
Sanguineos quondam lacrymarum gurgite riuos;
Exilio populos arcebo idola colentes:
Corriget exemplum melius peiora ſecutos.
Hæc poſtquam orauit, quam vouit, redditus vrbi,
Regnóque, impleuit votum, ac vt tempora luctum
Protraherent, nemo regnauit diûtius illo.

AMON,

Manaſsis filius.

SYMBOLON.

O Spes fallaces! decuſſæ frondis honores,
Quos ſpectas intempeſtiuo à flore periſſe,
Intempeſtiuâ ſunt Symbola morte ſepulti.
Auulſum primæ florem, ſub vere iuuentæ,
Spes longas Amon, infrugis hic hortulus abdit.
Exemplo ſectans qui deteriora paterno,
Incertum vitijs, tandem & virtutibus æuum
Partiri voluit, flendi fiducia, rapto
Illuſum ſpatio, iuſſit committere flenda.
Nempè idola aris, ſtupra vrbi, funera regno
Reſtituit, longo velùt intermiſſa fuiſſent
Fœnori, & inſanus demùm, nimis improbè adultus,
Dum ſenium vitam & ſtudia in meliora reſeruat,
Raptus morte perît. Nimis eſt ſubiecta perîclis
Cùm ſecura ſui vita eſt: vicinia ſumma
Eſt vitæ & mortis, ſemperque elabitur illa,
Hæc inſtat ſemper, magè cùm diſtare videntur,
Sunt ſibi contiguæ. Spem veloci impete claudam
Mors ſiſtens, coniurato irrita vota recidit,
Et vitam ferro. Cingunt fruſtrà vndique flores,
Qui frugem amiſit. Nunc fide fugacibus annis,
Et vota incertis finge aduerſaria fatis.
Momenta aſſiduò carpunt quam ſingula motu,
Exemplo hoc ætas non indecerpta vocetur.
Stat ſua cuique dies, ſed non eſt omnibus vna.

IOSIAS,

Amonis filius.

EPINICION.

HVc Ciues, lætum pæan geminate, curuli
Effertur feretro, buſto quem gloria laudum
Aſſertum æternos meritò ſubduxit in annos,
Poſt mortem vt viuat, quæ natum fama præiuit.
Ille idolorum euerſor, pius ille Ioſias,
Ante annos quem parturijt natura trecentos;
Jam tùm fatidicâ prolato voce, litantem
Ieroboam idolis tremefecit nomine, nondum
Natus, cùm notus, natus fors ante parentes.
Ætatem nîl expectans, ſpectabilis orbi,
Ingenióque palàm dextro, cenſorius infans,
Atque ſupercilio contracta licentia morum,
Confeſſa eſt maius quiddam puerilibus annis.
Credidit octenni puero reſpublica clauum,
Nacta parem vi, conſilijs, pietate, animiſque:
Qui vultu, poſt octo annos, meliore bearet;
Et ſancto collapſa reſurgeret auſpice tellus,
Fertiléque enaſcens potioris germine frugis,
Cultorem coleret renouata. Secutus hic idem
Dauidem antêiuit, quippè ille inuenerat olim,
Cùm cœpit regnare, bonos, hic fecit, obeſſe
Vt nîl parua ſcias virtuti corpora magnæ.
Huîc Ieremias vates legatus, & ipſe
Ad puerum puer, vt ſenium Reſpublica ponat,
Antiquata diu; legumque nouata vigore,

Inci-

Incipiatque inſons meliùs pueraſcere Virtus.
Ille Dei ædilis, reparans qui diruta templi,
Inuenit medijs, ruptâ compage, ruinis
Depoſitum cæli, ſanctæque volumina legis.
Quam dudùm impietas, quò ſic moreretur, humârat,
Vtque latente eſſent magè libera crimina libro:
Reddita ſed mundo, veterique excluſa ſepulchro,
E tumuli tenebris lex lucem hoc vindice vidit;
Quinimò in ſolo Joſiâ tota reuixit.
Induxêre alij, aut ſcelera indulgendo, patrârunt,
Hic nîl commiſit, nîl hic permiſit iniquum.
Zelator ſoluit, ſuadente Prophetide, fortis
In cineres totiès rediuiua idola, & apertis
Inſperſit meliùs tumulis, mors ipſa doceret
Vt ſimulachra mori, ſpargi ſe puluere manes
Senſerunt calido, ſtygij ſenſêre camini
Se magis inſuêtis cinere hoc ardoribus vri.
Hic ille intrepidus iuuenis, qui fana neſanda
Et nemorum incendit latebras, vmbraſque nocentes,
Hoſpitijſque lupas, obſcuriſque expulit antris.
Macté animi zelo, virtute ac ignibus iiſdem,
Fulmine ſolares deleuit vindice currus,
Plebe ſuum aſtrorum Regem mirante potentem;
Cùm peteret Diuûm genitor Phaëtontis honores,
Tentaretque ſui nati immemor ardua, digno
Supplicio abiectus, veſanis excidit auſis,
Fictaque in hiſtoriam tranſiuit fabula veram.
Hic ille aſſertor patriæ, Iſraële, & Jüdâ
Luſtrato flammis, vanos Antiſtitas aris,
Ignique addixit, torreſque, idola, cremandos
Subiecit, ſenſu vt meliùs ſua Numina noſſent,
Et prælibarent orcum, cui thure litabant,
Mortiferoſque ſuper mortales eſſe probarent
Se Diîs inuitos, tribuitque inuerſa miniſtris

Officia,

Officia, vtque adolerentur qui quondam adolebant,
Idoliſque ſuis Myſtæ vſti. Victima cœlo
Nulla dari potuit melior, quià peſſima mundi
Decoxit Diti, totumque ambuſſit Auernum.
Hic Regum protomartyr, Reſpublica fato
Anxia cum ſupremo ageretur, numinis in ſe
Iram vt molliret commoti tela reflexit;
Deuotum Ægypti pharetris atque imbre pluente
Opponens pectus, diri Nechäonis in ora
Rex orbi quondam, rex formidabilis Orco,
Grandem animam emiſit: corpúſque vehente quadrigâ,
Vt dubites occumbendo nùm vicit, vtrùmne
Vincendo occubuit. Moriens ſaltem ille ſedendo
Occubuit non procubuit, mox inque triumphum
(Vecturam & pompæ meritum ſenſêre iugales)
Ipſe ſuo traxit trâbeatus ſanguine mortem:
Et veluti feretro, referens ſpolia ampla feretro,
In Mauſoleum velut in Capitolia vectus,
Et morte abſumptus, buſto inconſumpta trophæa
Conſtituens, fato inuidiam pro clade reliquit.

ELICIACIM
ET
IOACHAZ,

Ioſiæ Filij.

REVOLVTIO.

SÆpè quies regnis extremum extrema minatur
Exitium, tranquilla boni poſſeſſio nulla eſt.
Inclinante die floreſcit grandior iris:
Inſtabiliſque ſtatus voluuntur turbine ſortis.
Proſperitas Hebræa, pio ſuffulta Joſia,
Ad ſummum creuit; ſubducto, lapſa ruinas
Oppetijt. Nimirùm Aſiæ tutam Africa pacem
Jnuidit; quos purpureum diuiſerat æquor,
Sanguineo iuncti mouêrunt bella Gradiuo,
Per ſtrageſque procùl tellus diuerſa cöiuit.
Eliacim regem regnum poſcebat & ætas,
Aſt rapuit Ioachaz natu minor, & puer ardens
Imperium, natura morâ quem mitior indè
Naſcendi arcuerat. Diſces metuiſſe rapinam
Infelix nimis, & falsâ caligine capte,
Cùm ſceptrum Iudæ, veluti torpedo, rapaces
Nodabit digitos, furuoque antro, inque cataſtis,
Mendacis ſerò ſplendoris deteget vmbram.

Vlti-

Vltimus ex primo, primuſque, ſecundus, iniquè
Cùm præuertiſſet regnum, peruertit. In arma
Auxilium, Pharao excluſo pro fratre vocatus,
Ablati molem ſceptri in ferrata, catenas,
Pondera conuertit; fieri quos viderat antè
Mancipijs reges ridente, & regibus ire
Mancipia Ægypto. Bis ſolibus octo parauit,
Ad quartæ ſceptrum tenuit vix cornua Lunæ.
Regi equidem ſpatium breuius, longumque tyranno,
Ciuibus oppreſſis nimium. Iram expleuerat alter,
Jam magè cara ſibi rapiendo regna potitus,
At ſceptrum rediens etiam ſua fata reduxit,
Nullum hoc mobilius, grauius nec pondere pondus.
Per Pharaonem alijs tantùm regnauit, & illi
Regnauit Pharao: taxatus mole tributi,
Quo ſolo fieret pretioſus, liber vt eſſet,
Libertus non obtinuit; quin nomine verſo,
Eliacim, dictus Joachim: qui nomina tollunt,
Quid non eripient? regnum ſub rege paciſcens,
(Impetrare adeò regnum eſt amittere) grates
Ægypto ſoluit: ſecumque idola vehendo,
Non vno imperium amplexus deforme reuinxit
Pacta pudenda iugo; genitor quæ ſanxerat olim,
Polluit; Vriam ferro, librumque Prophetes
Helciadis flammæ addixit, ferróque, rogóque
Dignior ipſe ſuo. Tandemque vt proferat Orco,
Et Ditem Diti coniungat, Dæmonas arctans
Inueſtiît gemmis, complens queîs annulus orbem,
Eſſe bis idola efficiat: nàm dæmone natæ
Concepto gemmæ matres ex dæmone fient.
Sed quamdiù gemet has gemmas! non annulus anni
Vnius hic cyclos, captiuáque vincula nectit.
Infido infidus cui Nabuchodonoſor inſtans,

 Dece-

Deceptum abduxit, captumque, ſpecuque ferarum
Implicitum incluſit, ſocioque gregi, atque ferinis
Faucibus obiecit. Meritò transîendo loquâre:
Nomine ſic moritur præmortuus ante tyrannus,
Qui viuus tumulo iacuit, quem mortuus extrà
Vixit. Eum Chriſti proauis Matthæe repellis,
Inſontiſque feram prohibes natalibus Agni.

SEDECHIAS,

SEDECHIAS.

Eliacimi frater.

SORTITIO.

Par fratrum excidit infelix, quorum ille furore
Efferus, ille feris perijt, te ſors tua tollet
Sedechia, peior reliquis. Nempè vrna rotante
Regia fortunâ inſtabilis: ducto in Babylona
Eliacim nato Jechoniâ, ſceptra nepotis
A victore impetrabis, iam mollis in hoſtem,
Inque nepotem durus, cuî ſeruire paratus,
Hunc regno vt ſpolies: mutato nomine, Mathan,
Sedechiâ, iuſtum nil, præter nomen habebis.
Diripies vrbem toties direptam, vt egentûm
Paſta idola penu creſcant hoſtilia. Vatum
Obſtringes fauces, vt præſcia carmina tollas,
Fata quaſi vatum tua claudere pectore poſſes.
Conſilium cæli contra inconſultus, & amens,
Fœdifragus damnabere Chaldæoque, Deóque:
Excutiénſque tributa, iugo grauiore gemiſces.
Nabuchodonoſor Iudæ populabitur arua;
Per te non Solymam, Solymam graſſabitur ignis,
Quæque ſuperbifico pulſabat vertice cælum,
Decinerata, ambuſta, ſolóque æquata iacebit.
Mille inter fruſtrâ funus tibi funera quæres,
Et miſero magè erit miſerum, quam tradere vitam,
Hanc trahere inuitam. Deîn in Babylona coactus
Regalem exutus cultum, canis, inque catenis,
Ferroque, & vînclis veteres fraudabis honores:

Et viſu captus, manibuſque, & luminis, vnà
Natorum orbus eris. Meritò ſedem ipſe pudoris
Amittes, quem proijciens, ſedem ante negâſti.
Fortè leuamen erit, non poſſe dolenda videre.
Jacturam regni, & longi in Babylone monendo
Carceris Ezechiel prædicet tædia vates,
Te Babylon tu viſurum, verèque negabis;
Diuinus minimè, ſed diuinabitis ambo,
Non vrbem cæcus, mediâ vel in vrbe videbis.
Verus Sedechias, & Juſtitiæ ſimulachrum,
Cùm cæcus fueris, fies, & morte peremptum
Mancipium ſerâ veteranum, ignobili aceruo
Abiectum, inque rogo patriæ, buſto ipſe carebis.
Obſcuro obſcuram facient tua crimina lucem.

SVSANNA.

SVSANNA,

Helciæ filia.

ADMONITIO.

HVc fragiles animæ, nuptæ, innuptæque puellæ,
Queîs pro virtute eſt vanæ fiducia formæ.
Sola facit virtus animi pulcherrima laudem.
Illecebris, & naufragio quæ corpore ludit,
Quam ſpecies damna inuoluat ſpecioſa, docebo.
Illa Suſanna ego ſum, regali quæ lare rapta,
Inque domum rurſùm regalem excepta, leuante
Fortunâ excidium, pulchrumque augente periclum:
Quâ fuerim formâ, nomen ſi conſulis, audis:
Omine quippe roſas primóque aſpirat odore,
Is reginarum flos eſt, reginâque florum.
Quàm fueram felix; ſi non formoſa fuiſſem!
Perdere cùm metui, fermè me perdidit ipſa.
Spectatum captiua decus Babylone colebam,
Vnum captiuo ſolamen coniugi, & vni:
Me nudam nemo, thalamum, aſt heu! excipe fontem,
Conſpexit; foribus clauſis, ſolóque receſſu,
Ipſius arbitrium ſolis ſtudioſa refellens,
Qui quamuis medio exploraret Lynceus axe,
Aſpectum nemora arcebant, & frigus amicum
Innocuas blando recreabat murmure frondes:
Lympharum addebam membris exuta nitorem,
Libera cæſaries, ſparſæque ſimillima lanæ,
Marmore ludebat Pario, auratóſque comarum
Orbes, argento miſcebam fontis, in ipſum

 Dixiſ-

Dixiſſes alium ſeſe demergere fontem.
Non opus hîc ſpeculo, ſpeculis incincta natabam.
Tergebátque ſimul, ſimul vnà argenteus amnis,
Clara repercuſſæ reddebat lumina formæ,
Murmuréque irriguo ludens, placidóque ſuſurro
Laudabat potiùs, quàm membra lauaret, adulans.
Sed quid inepta fugax donum, fugientibus vndis
Credebam, nec me leuis inconſtantia lymphæ
Admonuit, fallax mirantem in imagine munus?
Nempe fidelis erit ſpecies, ſi tempora ſiſtas
Cuî fundamentum, corpus, quaſi præterit vmbra,
Et velut illimi pictam me flumine vidi.
Sancte pudor! ſed enim quid tutum? erat anguis in herbâ:
Hoſtis amans ex inſidijs prorupit vterque;
Horrui, vt aſpexi virgulta agitata moueri,
Iamque feris aliquid peius, nec falſa, timebam.
Ecce proci, queîs cauſandi, iuríſque poteſtas,
Antiquum gemini virus, vireſque parare;
Igne vſti, quem mergebam, dum fluminis alueô
Ardores, ignara facem faciem eſſe puellis,
Eiaculor, Veneremque nouo creo neſcia fluctu.
Pallida vulnificos ad vultus tota profundo
Abijcior, ſed perſpicui renuêre latebras
Demerſæ latices, ſic nec Cryſtallina poſſit
Diſſimulare roſas glacies: me crinibus abdo:
Fluxus aquæ, & ſinuans euentilat aura ſolutos,
Spiránſque in me conſpirat, ſed & omnia crimen
Hoc conſpirabant: riuales fœdera iurant;
Fruſtratis precibus, fors verba minacia proſint;
Atque malum probris ſummum lacerare pudicam,
Et totam facili commento euertere famam
Conſtituunt: inter vitæ & diſcrimen honoris,
Quid nunc, inquam, agimus? corpus, queîs abluis vndis,
Pollutum accuſent? iuuat ô mors, criminis expers;

Vita vale: Hæc mecum. Clamo; verùm altiùs illi,
Et crimen regerunt, nimirùm puberis æui
Viſus vtrique à me iam iam diffugit adulter.
Quod renui, peragit Venus impermiſſa nocentem.
Hîc patrocinio peior, cauſâ æquior, inter
Opprobria inſanæ plebis lacrymáſque parentum,
Semianimis trahor in mortem, lapidéſque parantur,
Debiti adulterijs: legis, pœnæque ſit vna
Materies. Fit lex, delata iniuria, iúſque:
Jámque aliquis ſaxum & crudelia brachia tollens,
Diriguit ſaxo ſimilis. Sic ſupplice viſus
Innocuus pro ſe facundè poſcere geſtu
Ipſe pudor, totámque implens trans lumina frontem,
Puniceum affuſo miniare dolore colorem.
Sancta pudicities, quam te ſeruantibus æqua es!
Quam ſeruis, qui te ſeruant! puer ecce moratur
Iudicium feruens duodennis, vtrumque ſeorſim
Perquirit teſtem, diuerſos detegit, atque
Mendaces proprio conuictos ore refutat.
Quàm grato aſſurgit virtus poſt nubila vultu?
Mutantur populi voces, & ſiccine, clamant
Captiuis furit, & captos ferit improbus ardor?
Poſt patriæ, ſenium periurum, incendia veſtræ,
Peiores flammas hùc in Babylona tuliſtis,
Ardenteſque niues? adeo & promiſcua in hœdis
Maieſtas fœdè apparet promiſſa capillis?
Quid iam de nobis dominator crederet hoſtis,
Summates ſi ſic peccent, à Iudicibuſque
Fraus adeò ſolemnis eat? ſic crederet vllus
Laſciuire ſenes? nempe vt decoctior ignis
Arenti ligno, ſic & violentior æſtus
Renibus in vetulis. Quid multa? inuertitur omnis
Scena prior, moxque immeritis reſoluta catenis
Liberaque incedo, in thalamum diducta, domumque,

Dimiſi, vt ſenium potiùs mea vîncla decerent:
Legaui, arentes in digna incendia torres,
Arſuros flammis meliùs, quàm nuper amore.
Subſidium inſonti Daniel puer attulit inſons,
Judiciúmque ſuum cœli ſolertia iuuit.
Cautiùs admonitæ ſapite ad mea damna puellæ:
Clarior eſt equidem, cui nemo impingere crimen
Auſit, nec poſſit, quàm qui ſua probra repurgat.
Lubrica continuâ formidine forma tuenda eſt.

IECHONIAS

Eliacimi filius.

THRENI.

HElciades cineris tumulo hæc lamenta miſertus,
Cum Solymæ nondum totus, deferuerat ignis,
Jn patriæque pio plorauit carmine buſto:
O adyta! ô Solymæ colles, læta arua, Sionis!
Hæccine terrarum mater, princepſque beata,
Quamque æuo fore promiſit Deus ipſe coæuam?
Quid iam dîuturnum? periêre æterna; furoris
Tempeſtate ruit, quod nullâ ætate ruiſſet.
O verè regum ſimiles, vt chaſmata, gazæ,
Quæ cùm vaneſcunt, lucent. Olim illa ſuperba,
Jlla coronantes cecidit cincta vndique pinnas,
Regia, ceu criſtas tollens, & nîl, niſi fumans
Funus habet; tam magnificâ templa ardua mole,
Caſu humili externata iacent, & naufraga in igne
Angelici ſudat deprênſa colonia cœtus:
Atria ſancta Dei, cœlique ſuburbia flagrant,
Deſtruit æternos mortalis dextra labores;
Nulli impunè penetratum penetrale profano
Peruadunt acres homicidæ, incendia, flammę.
Nec iam Thura crepant, at quæ ſanctuâria quondam
Luſtrabant, ſacris vice verſâ elementa repugnant,
Sacra vbi nunc? & vbi vaſa? & delubra? vbi fontes?
Quænam hæc immemores naturæ ignauia fontes?
Quos culpa accendit, quid non extinguitis ignes?
Menſa vbi, & ara eſt? lampas vbi æterni æmula ſolis?

 Heu!

Heu! ſuperant Myſtas, ſuperant incendia vota.
Vnius heu! totum eſt templum iam lampadis inſtar,
Dicite, ſancta, ſenes veſtiti lintea, quandò?
Quomodò? vbi? cuînam facietis ſacra deinceps?
Angelici indigetes templis abiêre relictis,
Sancta Sion incenſa igni eſt, Deus ipſe cremato
Diſceſſit lare. Quanta auidæ inclementia flammæ!
Quam populis linquet patriam? Deus exulat aris
Expulſus proprijs. Vbi congeſtæ vndique gazæ,
Armillæ dites, fuluoque exoticæ in auro
Quò merces? ciues miſeri, quò fœnora? lucra?
Hoc mundos veſtros mundaſtis in igne puellæ?
Omnis præda pyris diuiſa eſt atque pyrauſtis:
Ilicet incumbit ſpolijs prædator vterque,
Cumque ſuo miles prædas vbi diuidit igne,
Diſceptans rapitur properam tentando rapinam:
At quæcumque ignis magè velox raptor auarè
Cepit, corrumpit momento prodigus vno;
Materiem nequam deperdit alumnus alentem.
Diripuiſſe parum, heu! gazas: ardentibus vndæ,
Extinctis tellus rapitur, ſpiramina viuis,
Vndantique intercipitur ſol vndique fumo,
Optamus fractis patrias ſingultibus auras.
Ciuibus vrbs petitur, ciueſque petuntur ab vrbe.
Gemmantes eheu! pueri, inclyta germina, ſtirpis
Electæ pereunt, æuo matura ſenili
Canities teritur, primoque in flore Sionis
Virginea agmina. Succubuêre hoſtilibus armis,
Incubuêre alij proprijs, patrięque ſecuti
Fata alij flammis ceſſerunt: non niſi in vrbe
Euersâ poterant tam multa cadauera condi.
Heu! Solymæ reliquum, fata in grauiora ſuperſtes,
Quos inſtans præagit victor! gaudete ſepulti
O cinere in patrio ciues, buſtoque penatum,

Buſtum

Buſtum adeò clarum obſcuris non ſplenduit vmbris.
Lugendi potiùs vos lugent. Squallidus ordo,
Extorris rapitur, cinere & fuligine ſordens:
Indigenis magis hæc ſpolia aſportaſſe probroſum,
Fronte ſuâ vt fatum quiſquis circumferat vrbis.
Interque exilium, patriamque ſtat anxia turba,
Malit vtrum dubitans: extinctus friget in igne
Patriæ amor; perque hoſtiles indigna ſubactos
Vrbes pompa trahit: fuerant exercitus olim
Nunc turba; & pueri, iuuenes, matréſque trahuntur,
Infantes videas veſtitos vîncla, priuſquam
Adſtrictos faſciis. Heu! inter fercla, corona,
Et cydaris veniunt! & fiunt ſacra profanæ
Ludibrium plebi! Tandem ſine mole ſuperba
Percuſſâ Balylon, cælum ſpolia inter opima
Iactitat. Opprobrium! Sedechias luminis orbus
In vînclis trahitur, Saraiáſque ſacerdos,
Hic nimio fletu, velut alter vulnere cœcus:
Conueniunt ſolâ diſcordes ambo catenâ.
Hàc illácque Palæſtina de gente leguntur
Seruitia, ingenuâ legeres queîs fronte pudorem.
Pauperiéque graui & turpi ſquallore pedorem.
Quondam etiam Euphratis conſidunt margine, vt illo
Se crucient, miſeros cum reddet imagine vultus,
Elicitíſque auctus turgeſcet fletibus amnis.
Hic inter mortes modulari carmina iuſſi,
Confundunt ſacros triſti numeros vlulatu.
Scilicet hoc vnum Babylonem idioma decebat.
Ah! puer infelix, Iechonia, heu! ſpectra tot inter
In caueam abriperis, vigil & cuſtodia ſeruis,
Qui malè ſeruaſti populum. Hæc incendia fumo
Surrexêre tuo; te infamia longa vorabit,
Flamma alios quondam: octo gemes in carcere luſtris;
Matremque aſpiciens, chara & connubia, natum,
Triſtem

Triſtem ærumnarum deſolatus comitatum,
Mancipia vt numeres inter vernáſque tyranni.
Prô fœdum! domini, pluſquam ſeruire, pigebit:
Ille tuus domitor, Nabuchodonoſor ille,
Humana immani ſpecie cùm verterit ora,
Indutus tauri faciem, miſtúſque iuuencis,
Fors magis vt Domino pudeat ſub diſpare ſeruos,
Bruta nouûm brutum terrebit, & ardua tollens
Cornua, ridiculo accinctus diademate frontem.
Auráſque & totam complens mugitibus aulam
Vóſque nouo exponet, ſubſelliáque alto periclo.
Tu patriæ intereà confector, cardine quartæ
Ætatis ſiſtens, Judæ miſerabile claudes
Regum agmen; reliquis hoc infelicior vnus,
Regna ſuis vixêre ſuper quod regibus ante,
Tu regno. Greſſum, dum ploras, ſiſte, viator.



B. Quellinus delineavit. Richard Collin sculpsit.

Salathiel,

Iechoniæ filius.

Chriſti linea.

Zorobabel.

Abiud.

Eliacim.

Azor.

Ex Leui.	Sadoc.	Ex Leui,
Eſdras.	Achim.	Salomona.
Ieſus Siracides.	Eliud.	Razias.
Eleazar Protomartyr.	Eleazar.	Matathias.

Iudas. Ionathas. Eleazar. Simon.

Ioannes Hircanus.

SALATHIEL.

Iechoniæ Filius.

ISAGOGE.

IMparibus ſurgit titulis, longè impare felix
Ætas ſucceſſu, rutilique præambula cæli,
Et canis veneranda probis, albúmque ſerenans
In Chriſti proauis oritur ſelecta ſenectus.
Nemo reus, quià rex nemo, nulloſque deinceps
Occiſos planges, condemnabiſue homicidas.
Grandævus candor, primique infantia mundi
Cùm ſenio redijt; cæſæ oſſibus impietatis,
Prognati Sancti. Teſtis miracula Cadmi
Viderat Ezechiel. Aliquis ſanè vſus in ipſo
Jgne fuit Solymæ, nam deſpumante ſuperbam
Vſtrinâ ſcoriam, ſurrexêre aurea ſæcla.
Primo Salathiel offert ſe limine, quanto
Lumine conſpicuus! ſi flumina lumen amara,
Nîl turbant lacrymæ: ſcintillam hanc patria dudùm,
Auſpicium vt faceret renouandæ denique ſorti,
Fouêrunt cinere inſopito buſta latentem:
Magnanimum, fortemque malis, meliora merentem,
Quem cùm fortunæ fatum ſeruire iuberet,
Ipſe modo felix ſibi nobiliore præeſſe,
Roboreque infracto, & durato corde ſubeſſe,
Seruili oppoſuit pectus regale cataſtæ,
Et captiua inter vixit ceu vincula liber.
Vt duræ arbitrio ſortis moderêre ſubacto,
Nec cogi valeas, cupias, quodcumque neceſſe;

Aduerſa aduerſis non ſunt aduerſa, timentes,
Auerſos feriunt. Populo quid fecerit? vnum hoc;
Fleuit. Sed quid enim vtilius præſtare valebat,
Mancipium Princeps? lacrymarum flumine merſit
Chaldæum imperium. Tria ſparsim monſtra tueris?
Sunt illi quos confecit tres flendo tyranni.
Cernuus en ſemet Nabuchodonoſor horret,
Semifer, atque ferus totus, qui maximus olim,
Iam nemo. Antè hominem cum ſe mirando negâſſet;
Nec fuit; atque lycanthropiâ verace ferinis
Permiſtus gregibus, nomen famamque creauit
Fabulæ Vlyſſææ, nam vera, ſuperbia, Cyrce eſt.
Poſt annos humana fera hęc, ferus aut homo, ſeptem,
Formam mutatâ meliorem mente recepit:
Cùmque Deum ſeſe reputaſſet, bellua factus,
Factus homo eſt, vbi ſe brutum cognoſcere cœpit.
Alter Euilmerodach, qui ſub primordia regni
Apparens maior, ſic &, cum nubila ludunt
Ieiunum aſpectum, primo ſol naſcitur ortu:
Atque iugo ſpondens Iudæ meliora paterno,
Eduxit ſeruis, aulæque præeſſe ſolutum
Salathiel ſtatuit, mitis pietate ſuperbâ,
Præ faſtu cum faſtidiit, vulgaribus eſſe
Contentum obſequiis; reges, famuloſque parauit.
Principium blandum corrupit atrocibus actis;
Et malè fidus, peiùs dicens, & maledictus,
Patre, ferâ, natum ſe prodidit, efferus ipſe.
Hunc demùm telo confoſſum leuiri, & alter
Balthaſſar ſequitur, cui degenerare decorum,
Vt patrum fiat ſimilis, quem Daniel olìm
Venturum, irarum vates præſagus, odorans,
Immanem fertur meritò appellâſſe leænam;
Nec mitis cui nempè animus, nec maſculus eſſet.
Impia contemptu ſuperûm ludibria miſcens,

Vaſa

Vaſa propinauit templi, caliceſque ſacrorum
Dęmonijs Beli, ſeque ad conuiuia Ditis
Antè inuitauit, ſemperque inſanus, & antè
Quàm biberet, potus. Sed quam mœrorque merumque,
Iunguntur, ſeſeque trahunt! en vultus opertus,
At manifeſta & aperta manus ferale notauit
Parietibus fatum. Sic & modò nemo malorum
Regibus eſſe malis manifeſtus nuncius auſit.
Et totum triplex vulgauit littera lethum,
Triplicis eſſe virum vt cognoſcas grammatis: æqua
O Nemeſis! Cyrus, mediâ vindexque Darius
Perſide, vi terras, mulctantque ligonibus amnes,
Subſidunt Gyndes confractis cornibus vndæ;
Et Babylon ardet vino vitijſque ſepulta,
Vnius vrbs fato perit antiquiſſima noctis,
Et Solymæ æquatur, cuius fuit æmula quondam.
Sol oriens nullam riſit, quam viderat antè
Occiduus nimiam. Noſtin', irruperit vndè,
Chaldææ Cyrus fines valido agmine victor?
Trans fluuium Euphraten, lacrymis turgebat Hebræûm;
Vſſêre Hebræos Chaldææ incendia, at ipſa
Extincta Hebræûm eſt lacrymis, fletuque peruſta.
Ad proauos lætus, ſeruili compede liber,
Oſtia trans mortis, properauit nuncius ire,
Salathiel. Tu procedens hîc plaude, viator.

ZOROBABEL,

Salathielis filius.

MYSTOLOGIA.

CORde nouam puro ſuperis molirier aram,
Infelix hoſpes cæcæ Babylonis adornas?
Zorobabel ſequere, ingentem ipſo nomine ſortem
Circumfert, æquos titulis indeptus honores,
Deque triumphatam Babylon pro ſyrmate raptat.
Excitat hunc Cyrus, quo ſacras excitet ædes,
Templa Deo: Cyrus ſol eſt, & quid niſi lumen,
Numen? quo amoto totus Babylone vagatur,
Cæcutitque animus. Prorex delectus Iüdæ,
(Perdiderant regnum ſiquidem, quod perdere multo,
Olim præualuit) populum, captiua recenſens
Optatam in patriam è ſeruis analecta reduxit.
E tanto numero vix quinquaginta ſecutæ
Chiliades, ſic nempe tenent ſeruilia multos,
Amplexique tenere ſolent ſeruilia plures.
Ingreſſus Solymam, vrbem non inuenit in vrbe,
Fundamenta quidem ne templi repperit. O quàm
Ex toto pereunt, quos ipſe exaugurat author,
Quos delet Deus; infoſſa ignes oſſa cremârant,
Jn medijs tumulos flammis & buſta petentûm.
Septima Luna ſuum contracta reſoluerat orbem,
Lætitiæ menſis, templi fabricator Ieſu
Accenditque, animatque aras. Quis enim ſine Ieſu
Algentes animos foueat? Non lætior vnquàm
Fax iſtâ emicuit; templo lucem attulit vnum

Fatalem

Fatalem & natalem elementum. Numinis ira,
Pacificam vt vidit conſurgere fomite flammam,
Extincta eſt, Aggæo conſule cum Zacharia,
Arte ſuâ, diuinum opus Ezechiele regente,
Nocturnæ lumen Phœbes; cùm tenuius eſſet,
Vt propior ſoli, nouáque incrementa repoſcens,
Tentaret pleno ſua iungere cornua gyro,
Templum ipſo ſtruxit renouatæ cardine Lunæ,
Et cœpit cœlo ſacra fundere lumina lampas.
Imminui primum eſt creſcendi Numine coràm
Auſpicium. Hæc inter iuuenes ſolennia ouare,
At lugere ſenes, affectu diſpare, quamuis
Spectatâ pietate pares: iſtos noua moles
Oblectat, ſed templa gemunt hi diruta pridèm,
Vt meritò dubites, natale in funere, funus
Aut in natali celebrent. Docuêre gemendo,
Noxam etiam veterem, reparatáque crimina plangas.
Inſurgunt priſco Samaritę anathemate tacti;
Hebræûmque volunt nulla, aut communia templa:
Zorobabel nullum non vult, commune recuſat.
Securam quiſquis pietati conſtruis arcem,
Exturba turbas, pietas queîs laruâ nocendi,
Nequitiam in commune, odia inteſtina fouentes
Priuatìm, tandèm vt valeant pietate flagrare
Protinus extinctâ. Indignantes ergò, malignè
Munificam Cyro meditantur claudere dextram,
Per Satrapas & Megiſtanes. O quàm pietati
Politica officiunt! quid refert rex pius an ſit,
Impius audîtur cui conſul? Conſule Regem
Iniuſto iniuſtum malim; potis ille nocere eſt,
Hic docet, & ſtimulat. Sua Rex æraria clauſit,
Zorobabel pandit ſua. Talem Romulus olim
Optaſſet Celerem. Felix qui non aliundè, at
Quærit opem proprijs opibus. Fac quod potes, omnem

Conatum poteris; Deus adiuuat æqua volentes.
Poſt Cyrum furit edicto peiore, tyrannus
Cambyſes, vetuit priùs ille aſſurgere templa,
Hic prohibet ſtare; vt primo tumulata recumbant
Ceu foſſâ, ſulco. Prô nubila, & abdita cœli
Conſilia! an templum optabat, potiùſne ruinam?
O animæ quantus crebra eſt contritio quæſtus!
Permittit lapſus iteratos, firmior vndè
Aſſurgas, & ſolicitâ formidine tutum
Afferat æternæ repetita medela ſaluti.
Principio ſummos virtus habet alta labores;
Sæpè, benè vt pergas, ad fundamenta redibis.
Succeſſit regnis functo Cambyſe Darius,
Zorobabel hic eloquio ſuâdaque ſuâſus,
Permiſit rurſùm fierent ſua templa Tonanti.
Vt bene proficias, ora; mollire calentes
Dura preces quæuis poſſunt. Luculentiùs ergo
Maieſtate, morâque auguſtâ, vt lentiùs exit
Ara noua, & lapſis ſurgit rediuiua ruinis,
Ceu redit extincto reuocata cadauere virtus.
His lapides nunquam grauiores ſenſit Auernus,
Expenſo reſidere Deum illic pondere nouit:
Et ſerum riſura æuum molitio, quarto
Sole coronatur. Nullum aſpernabile tempus;
Cùm cælum aſpirat, breuis opportuna ſaluti
Quæque mora eſt, vno veniunt æterna momento.
Feſtiuos demùm impleuit circumſona plauſus
Vox, Alleluia, clamans veniſſe Tonantem.
Summa voluptatum hæc. Ille in fabrumque, domúmque
Deſcendit, factuſque ſui ritè hoſpitis hoſpes.
Poſt hæc diù vixit, nihil egit; nempè minora
Vt faceret, non deſcendit, maiora nequiuit.
Accepiſſe Deum, eſt ſummam accepiſſe quietis.

ABIVD;

A B I V D,

Zorobabelis Filius.

GENETHLIACON.

PRopitijs auibus, fortunatiſſime Princeps,
Naſcere, naſcuntur mundo fauſta omnia tecum,
Extrà quod primus Babylonem naſceris, ortu
Reſtituis claro Meſſiæ nobile ſtemma.
Poſt templum ſerò natum quòd naſceris, actum
Delectu ſuperûm, vt merearis prima ſacrari
Materies, quæque audiret, tua vota benignus
Solicitare ęther viſus. Pro fœnora ſedem
Quanta locare Deo! lapides pater ante dicauit,
Accepit prolem; Solymę poſt buſta vel ipſe
Verus Deúcalion. Heroûm naſcere ſanguis,
Naſcetur tecum tibi patria; deſide cultu
Proiecta eſt dudùm Solyma, hoſpitiumque negauit
Hoſpitibus vaſtata Dei, explanánſque ruinas
Exhauſtos lacrymis funeſtâ in imagine pauit.
Jamque dati patriæ ciues; nec ciuibus illa,
Mutârunt vetus exilium. Pie naſcere, Ciuis,
Tecum Nehemias, Artaxerxe auſpice, verè
Longimano, quia munifico, procedit, vt almam
Hieruſalem renouet. Fruſtrà Samaria reſiſtet,
Fruſtrà naſcenti mortem minitabitur vrbi.
Inſtabit, ſtabitque faber nihilominùs audens,
Vt cùm ſacram operam peraget manus altera, dextra
Protegat, & gladio tutus, trullâque operoſus.
Fortiùs inuidiam ſurgentia mœnia ſternent,

 Cæmen-

Cæmentoque nigro macerato ſanguine ſtabunt.
Vrbs pacis bello naſcetur. Naſcere felix,
Prodigia vt videas cultu memoranda quotenni;
Nehemias luſtrans vrbem, vlciſcenſque ſepultas,
Sanctuârii flammas, lymphâ, non igne, reperto,
Cum lapides aræ conſperget, ſpontè flagrabunt.
Et monſtro geminato, inimicum filia patrem,
Vnda ignem gignet. Veſtro hæc præſagia honori
Proludunt, creſcet virtus ſpectata per hoſtes.
Naſcere Muſarum pater & decus, iſte renaſci
Auſpice te gaudet cœtus. Scriba Eſdra nouabit
Diuum opus, & mundi faſtos, legumque volumen
Reſtituet. Puer ô fortunatiſſime, prodi:
Naſcere ſecurus meriti, famæque perennis:
Felix, qui fœto viuit ſcriptoribus æuo.

ESDRA,

Ex Leui.

MIRANDA.

PRodigioſa loquor, ſiſte, admirare, viator:
Hic ille eſt Eſdra, diuina volumina fingens,
Cœli Chirogogus, cui ſumma peritia, leges
Explanare Dei, ferre ipſas iuſta poteſtas.
Marte ſuo Aſtræam fugitiuam reddidit orbi.
Depoſitum cum Pentateuchum adamantina ſeruat
Mens ſibi commiſſum, totis complexibus arctans,
Diuinum ius exprompſit. Cumque excidio vrbis,
Protinùs exciderant & commentaria legis:
Quin apud immemores Moſes fermè ipſe latebat,
Ceu naſcens, ſuáque oblitus cunabula mundus,
Se numquàm natum, ſemperuè fuiſſe putabat:
Illuſtris patre hoc Heröum vita reuixit,
Nataleſque ſuos mundus reparante renatus
Hoc vate edidicit. Scribendi artem ille ſepultam
Reſtituit ſcriba, ac humanas repperit omnes
Vnà artes: longùm quas æſtas vſſerat antè
Tempeſtate ſuâ; infeſto damnauerat æſtu
Arentes calamos. Vincti Babylone cataſtis,
Nemo characteres, præter ſeruilia nôrat
Stigmata. Doctrinæ grauidum nihil edere pectus
In lucem poterat vitale, vbi pagina, felix
Lucina, ingenijs ceſſauerat obſtetricari.
Verba ferebantur tenues moritura per auras,
Vixque aures leuiter tangebant: illa moratus,

Veloci dextrâ, fugientia, fixit acuto
In tabulis calamo, liquidum manſura per æuum.
Cumque manu ſcribæ, certauit lingua loquentis,
Omnia cæleſtis calamus, cæleſtia ſcribens,
Et Diuûm pectus repletum oracula ructans.
Vt mirêre magis, præpes quod dextra notabat,
Audiuêre oculi. Pagellarum æquore paruo,
Portentum quale! implens nigro ſemine agellum,
Facundus poſtquam calamus, ceu vomer, arauit,
Sepia fœcundat, doctrinarumque legendam
Feſtinat meſſem. Oſtento maiore latentem
Chartâ animum fidâ pinxit, cordiſque medullam,
Vt pia ſeiunctis ſiet internuncia amicis,
Ludibrio ſuperans facili interualla locorum;
Et tenui pectus veſtitum cortice libri,
Sede ſuâ immotum vaſtum transnauiget æquor,
Nec mutando ſolum, peregrinum tendat in orbem.
Vtile quod cunctis, fit lamentabile multis,
Queîs, pro atramento, bilis vomit atra venenum:
Viderît, in damnum ſua qui malè commoda vertit.



ELIA-

ELIACIM,

Abiudi filius.

AZOR,

Eliacimi filius.

ACADEMIA.

Hic aliquis, nemo eſt. Narrabo, ſiſte viator.
Hæc virtus humilis patrat miracula, vera
Thaumantis, ſolida & ſapientûm ſola magiſtra,
Aſt nîl ſcire docens. Primùm in penetrale vocatos
Turbarum iubet illa procul, fremitúque tubarum
Eſſe ſuos, & Pythagoræ documenta ſuſurrat,
Doctrinæ hæc primordia, poſſe ſilere, ſileri;
Omnia ſe infrà ponere, & omnia ſe tamen infrà,
Deníque ſe nihilo totos abſcondere ſuâdet,
Palliolóque ſuo, nihilo, ceu Philoſophali,
Inuoluit; nulli vult, præterquam ſibi, notos,
Atque ſophos demum meritò proclamat, vbi nîl,
Præter nîl, ſcierint. Meſſiæ hæc lecta vel ex-tunc
Obſtetrix, illum dudùm nihilare laborat,
Omnia qui nihilo fecit, ponitque paleſtræ
In proauis exempla ſuæ, & latebreſcere cunctos
Imperat, ignaro meliùs naſcatur vt orbi

Jgno-

Ignotis patribus Deus. Ergò relliqua deinde
Linea Meſſiæ ad Joſeph fermè vſque ſiletur.
Splendorem poſtquam veterem vrbs renouata reſumpſit,
Splendorem hi fugêre ſuum, regníque tiarâ
Miſſâ ad Pontifices, regno, curiſque remoti,
Diuertêre in virtutem. Apparere recuſant
Sidera, ne ſolem dubites nunc eſſe propinquum.
Hâc Academiâ primùm conſcriptus vterque
Vulgari cœpit Tacitorum nomine, ſecum,
Vt præeant alios, habitantes, Numinis inſtar.
Neue interciperet fors nare ſagacis odoris
Fama quieſcentes, altæ veſtigia mentis,
Confiidere ſuas virtutes; linquere, præter
Nîl, voluere nihil; claro ſua geſta probantes
Exilio: numquam & nuſquam, vixiſſe putares,
Qui vitam parient, vindex niſi nomen, & index
Jnteritum obrueret. Rediuiui gloria ſplendet
Numinis, Eliacim proaui ſub nomine: & Azor;
Numinis auxilium, loquitur. Virtutis & iſta
Ars fuit; auguſtas tentans abſcondere laudes,
Clauſit in anguſtum, totamque vocabulo in vno
Arctatam adſtrinxit Panegyrim. Nempè fuiſſe
Nomina, nîl præter, reputes. Hoc eſt nihil eſſe,
Hoc virtutis opus. Studiiſque; hoc adde latendi,
Quod ne vel titulum reperis, nomenque ſuperſtes,
Cùm natoque, patrem nullum quod ſtemma recenſet:
Vivus vterque diu, famæ dudum ante peremptus,
Oblituit nihilo. Latitantes cortice trunci
Stemma ferè magnum truncârant: prouidus æther
Succurrit, vetuitque licere hæc damna tenebris.
Matthæus cæli arcanis præfectus, ab altis
Tranſcripta archiuis eduxit nomina: vterque
Meſſiâ vixit rediuiuo. Nemo videri
Azor & Eliacim, voluitque anomalus eſſe;

Sic

Sic conati ambo ſe appellauêre ſilendo,
Perbibe magniloquum taciturni dogmatis vſum,
Elige neſciri: vulgat quos fama tonando,
Fulminat inuidia. At fugio prolixior eſſe,
Iſta tegi dudum voluêre, legique negârunt.
Inſperſo tumulis hinc puluere, perge viator.



SADOCH,

Azori Filius.

ECHO.

ECho, verboſæ dic mima Laconica famæ,
Hâc quæ ſpelunca cineres amplexa Sadoci,
Exanimis viuis, quondámne ſub illius ævum
Noſti Alexandrum? *Andrum.* Græciſſando ſuperbum
Arguis. At potiùs debebat, nomine teſte,
Non Numen, ſed ſeſe hominem cognoſcere: mundo
Attamen & cælo tulit eius gloria nomen.
Omen. Rectè nimirùm Alexander vterque
Fato Aſiæ ingenti natus, cumque omine prodît.
Abripuerunt totam Aſiam, hic in Græciam, & alter,
Econtrà. Sed quæſo, narra, illi vnde propago?
Pago. Credo equidem, nî fallor nomine, Pellâ.
Ergo ſic potuit tellus anguſtior eſſe
Tam nato anguſtè? Magna aſt cunabula iactat,
Seque fatum illuſtrì genitore & rege Philippo.
Lippo. Vno dicis verbo, potuêre parentis
Ex oculis, mores nati cognoſcier. Et quid
Exoculatus gignere poſſet, præter amores?
Cæca Alexandrum ſed quid furiabat adultum
Ebrietas? *Ætas.* Cruda & violenta iuuenta,
Cùm vinolenta eſt. Quid tandem Græcia dixit,
Cúm venit Macedo? *Cedo.* Concedere iuſſa
Nimirùm fugit furibundo patria nato.
Sed qualis Syriam contrà infeſtantibus armis
Aduentus? *Ventus.* Celeri comitante ruinâ

Quippè

Quippè valens, viq́ue & raptìm dominando, *minando*;
Sic eſt, nam captis dominatus, aliîſque minatus,
E bellis noua bella ferens, hominum helluo, creuit.
Deuictâque Tyro, mox contrà inuectus Hebręos,
Fortè reos, dudùm victuâlia namq́ue negârant,
Qui capere hæc poterat. Quid agat, gens territa? numquid,
Auſpicijs aduerſis, militet? *I, litet.* Actum hoc.
Actutum profugi, tuti per vota, precéſque.
Sed magè quod fragrans ſuperis, quodnam eſt melius thus?
Iuſtus. Sadoci lacrymæ, nam nomine in ipſo
Iuſtitiam redolet, lacrymas pro thure litauit,
Et iam maturam demulſit Numinis iram
Plorando. *Orando.* Eſt orator quippe diſertus,
Deſerti fletus. Sed cum vaſtare propinquans
Attigerat portas Solymæ cum milite, Magnus,
Agnus. Prodigium! Verſâ feritate leonis,
Pontificem Jaddi vt vidit, mutatus in agnum eſt.
Cum Iouis eximiâ vibraret fulgura lamnâ,
Subſtitit attonitus, nec tantam pertulit altâ
Fronte notam. *Notam.* Pridem; monſtrata ſpopondit
Victrices ſiquidem euentus. Mirabile! regi
Viſus adorari ignotus debere ſacerdos,
Vates Judæus. *Deus.* Ipſum in vate videbat.
Ergo Deum nactus, pretij quid rettulit indè
Patronum. *Thronum.* Et vt pietas ſibi ſubdere Perſas
Græca queat. Plures orbes cumque ille voueret,
Vnum amiſit, & exceſſit, cùm excedere vellet.
Et per bella ſubît, perq́ue orbem & ſæcula, Magnus
Ille, ſepulchrum exile. *Sile.* Hæc oracula Nymphe
Poſtquam vocalis tumulo eſt effata Sadoci,
Abſtitit, officerent manûm ne plura quieti.

ACHIM,

ACHIM,

Sadochi Filius.

VICES.

ET tua, magne Achim, ſpectata modeſtia mundo,
Propoſito cuius fruſtrà taciturne latebas,
Virtuteſque omnes vnâ virtute tegebas,
Nequicquàm tamen hanc vnam celare laborans,
Quod non appares, apparet. Sæcula certè
Non latuêre tua. At permiſcens mollia duris,
Dulcia cumque acidis, riſit fortuna viciſſim,
Et fleuit; premere omninò ne gaudia poſſes,
Nec lacrymas. Prima hæc naſcenti cauſa doloris:
Regis Alexandri auſpicijs, inſurgere templum
Vidiſti inuiſum, atque auſu Samaria ſuperbo
Altare altari oppoſuit: contraria votis
Vota ibunt, & grata Deum ſi victima flectat,
Praua inſultabit, venietque hoſtilis in aras
Hoſtia diuiſas. Poterat diſcordia templum hoc
Appellare ſuum. Cultum geminando Sionis,
In nihilum vertent: hominum, pecudumque cruentus
Ille hic mactator, flammas, quam flammea, cingi
Dignior, his aris adolebit thura Manaſſes:
Et tutò immitem faciet regnare tyrannum;
Cùm plebem in varias ſcindunt diſcrimina partes;
Hebræoſque per Hebræos delere docebit.
Nauigij eſt dubij ſimilis Reſpublica, quamdîu
Integrum eſt natat, & diuiſum mergitur. Iſto

Fractum

Fractum luctu animum, tandem vindicta leuabit,
Lenta quidem, ſed tempeſtiua. Periſſe videbis
Mundi raptorem, caliceſque vorando profundos,
Exhauſtum. Prô! vah indignum milite lethum!
Immodico ructare animam Baccho antè ſepultam,
Et non belligero miniatam ſanguine, vino
Purpuream nimio. Condignâ morte bibofus
Sublatus victor: quique Herculis æmulus eſſe,
Et Bacchi voluit, ſanè aduerſario vtroque,
Cratere Herculeo, Baccho eſt iugulante peremptus.
Fortè ſcyphi Clytus fundo non immemor hæſit.
Herculeum quìn ille calix ſe cæde tyranni
Oſtendit. Meritò dandum ſublimibus aſtris
Vas Philotheſium. Magnus, cùm viuere deſiît,
Et cinerem in parvum contracto puluere, nullus,
Arctatiſque opibus, terrâ, regniſque revulſus,
Excidit, & vitâ; bona ſe fortuna benignæ
Explicuit libertati. Quod Daniel olim
Edixit vates, diuiſum quatuor ingens
Imperium ſeruis, totidemque in fruſta reſedit;
Terrarumque orbis viſus Magno eſſe puſillus,
Maximus eſt paruis. Victor ſic bella ſubiuit
Ignota, ignarus demùm, cui vinceret. Aſt hìc
Materies fletus, noua; Ptolomæus in eius
Suffectus ſolium, modicâ intolerabile adulans
Libertate iugum impegit, Tam purpura auara eſt,
Sanguineum vt cocco trahat inſatiata ruborem.
Ægyptum præter, Syriam vult. Religionem,
Sacraque prætendens ſimulator, diripit aras.
Hoc vnum deerat miſeris plorabile damnum,
Regum vt formident pietatem. Vulgus eiſdem
Pro latrone vouet templis, queîs deuouet ille.
Larga nimis, templa ergà munificentia Hebræûm!
Se nudant, vt templum orient. Et rurſùs adimplent

Nudandum toties. Mons ìlicet ille Sionis ,
Gaza erit immiti diuesque fodina tyranno.
Ne prædo tamen hic nimium dicatur auarus ,
Ciuium onuſtauit ferri centena catenis
Millia. Iudæi Ægypti ferrum omne tulêrunt ,
Inque vicem Ægyptus Iudæ totum abſtulit aurum.
Longa , diu optatò , vertuntur triſtia lætis.
Africa terribilis monſtris aliquando vacabit.
Succeſſit Lagidi Ptolomæo deìn Philadelphus ,
Indocto doctus, meliorque proinde præeſſe.
Conſule vicinum lapidem , eius geſta loquetur.

IESVS,

Siracides.

MEMORIÆ.

QVæ fati inuidiam ſuperent, monumenta dicamus,
Virtuti Philadelphi: nam copiam hic vnus
Librorum auxit Alexandriæ, codice in vno
Scripta Moſis, ſcito illuſtrata interprete reddens;
Demetrij cum Phalerei ratione ſüaſus,
O meritis inſignem animam, quam tanta regebant
Conſilia! Eleâſar Diuina volumina poſcens,
Pontificem cunctos ſeruili pondere captos
Soluit, vt obtineat: ſoluit liber vnus Hebræos,
Et libertati aſſeruit. Prô! Eccleſia quantùm
Phalereo debet! quot luces porrigit annus,
Tot ſtatuas habuit, quot voluit dignus habere
Omne æuum ſoles. Verùm & ſimulachra fuêre,
Liberti attoniti, aſſiduas ſpirantia grates.
Jllius officio alta Pharos miracula vidit;
Septuaginta duos Erythræo in littore, quorum
Prompta animis liquido ſtaret ſapientia ſenſu;
Diuerſis eadem è loculis in ſenſa venirent,
Scripturam è Patriâ, linguâ conuertere Græcâ:
Ingenia hic adeo conſpirauiſſe, nec vlla
Diſcordem faceret varians vt ſyllaba cœtum.
Ergò caput forſan manibus tot præfuit vnum,
Tot capita aut ſcripsêre manu vnâ. Hîc vnius omnes
Et linguæ, & cordis. Pretioſior vnio nunquàm
Illi viſa mari. Noua res, miracula vtrìmque

 Vera

Vera loqui Græcis, concordiáque inter Hebræos.
Interpres reliquos inter præſignis Jëſu,
Præclarum, Jeſu, pax & concordia, nomen:
Errorum lux hæc cunctorum nubila pellit.
Interitum ſuprà, quæ vera, æterna, perennè
Imperuerſa manent. Vno volue omnia libro,
Eccleſiâſtes, cuî nomen, prout omnia dicit,
Conſonât omnibus; & ſolo hoc interprete, cunctos
Collegas noſces. Cognata ô tempora laurol
Scriptile nî potius malint inſigne papyro:
Iſta Pharos Regum ſplendet ceruice tiara.
Quam meritò diſertum illìc fecêre volumen,
Fida Pharos vbi turritâ ſua lumina fronte
Expôrgit nautis. Rabbinis nempè dolosè
Senſibus abducta, & vario iactata perîclo
Ingenia, in pronas cæcè tendentia ſyrtes,
Recta ſequi certo præeunte volumine diſcent,
Naufragium errorum fax illa cauere monebit.
Hùc obuerte ratem, quę fixa hîc anchora, ſalua eſt.

ELIVD,

Achimi Filius.

ELEAZAR,

Eliudi Filius.

CONSOLATORIA.

HEröas vrgent deterrima ſæcula ſanctos,
Elîud, ac Eleazar. Se proferre videtur
Omne nefas, inſtauratoris vt integra fiat
Materies; tempus feſtinat adeſſe ſalutis,
Nam ſcelera ad metam properant. Iræque, minæque,
Carnifices, hoſtéſque inſtant, liuentia tabo
Sæcula martyrij. Chriſti natalibus antè
Fulgebit ſanguis, ſurgente præambula ſole
Sic aurora ſolet. Quod templis ſplenduit aurum,
Barbarici magnes ferri, rurſùm abripiendum,
Jam raptum totiès, cupidíque offenſa furoris.
O veſtro nimium pretioſa metalla perîclo,
Quæ nec templa valent, vt nullibì tuta, tueri;
Palletis meritò, poſitáſque verêmini vbique
Inſidias. Iſta ergo fame Seleucus adactus
Prædaturo Apollonium cum milite mittit:
Angelico intactas percuſſus at ille flagello
I inquit opes: ſupplexque niſi exoraſſet Onias,
Pro loculis loculum latro inueniſſet. Oniæ
Antiochus mitram venùm licitantibus offert.

Sacráque tum demùm ſacro vt ſpoliêntur honore,
Sub regni altaris munus iubet eſſe coronâ;
Vt ſit vilis apex, pretio emptus. Sacra perempta,
Jpſo quo pretio empta: & raptam mortibus implet,
Deîn Vrbem, triduoque breui octoginta trucidat
Millia, dirum alijs ſeruili compede vinctis,
Atque ſubhaſtatis alijs; feralis at haſta,
Parcendo turpis, fortes feriendo decora eſt.
Perque & Apollonium ac orſus peiora Philippum,
Artifices qui præmiſſi in diſcrimina belli
Peiorem intrudunt pacem, ſacrâque theatro
Occidunt ſacris populos in luce vacantes:
Prô furiæ immanes [illegible]éque vndante paleſtrâ,
Naumachiam faciun[illegible]ilis tam mala mors eſt,
Cædibus exercet ludos. Nec ludicra ceſſat
Antiochi rabies; numerus certabat arenis
Cæſorum. Inde dolò ſenium delegat & aſtu
Extritum, meritò cuius deſcribitur ætas,
Nempè pilo vt vulpem noſcas, nomenque ſiletur,
Vt pereat totus: vetus is fuit Antichriſtus.
Auſus hic idolis templa inceſtare probroſis,
Relliquias ritu patrio deterret Hebræûm.
Nunc gaude, ôpietas, virtutes fulgura mittent,
Colliſæ vt nubes, pueróſque, ſenéſque videbis,
Femineóſque animos, præſtantiùs, Heroïnas,
Cœtum expugnatum, pro libertate tuenda,
Iure Deûm & patriæ, amiſſo vel ſanguine, ſtare,
Jn ſacra bella duces ibunt, feroſque nepotes
Pro ſuperis fortes animis, armiſque præibunt,
Nîl cælo acceptam cunctantes reddere vitam.
Sanctorum intereà geminum par, germina Chriſti
E Proauis, aruis Bethleem voluêre latentes,
Immeritum ferre exilium, ſedeſque propinquo
Meſſiæ cædes extrà, turbaſque parare.

ELEAZAR

ELEAZAR,

Proto-martyr, ex Leui.

CONCIO.

ILle hic longæuus Leuites, ille Eleazar,
Qui ſene porcinam Antiocheno mandere iuſſus,
Dum, ficto obſequio, mortem euitaret, amici
Suâdent; magnanimâ obſecrantes voce repreſſit:
Vos mihi quod ſuâdetis amici, ſuâdet & hoſtis,
Nempè vocatis, & illicitam menſam ille parauit.
Faucibus inuadam periuris ergo ſuillas?
Lethifera hoc ipſo, quod lege indicta vetante,
Fercula deteſtor. Nihil hîc inimica poteſtas
Præualet; illecebris fruſtrà tentâſtis. Eodem
Polluam ego leges Eleazar & ore docebo?
Ne potiùs bruto apponi ſim dignior ipſe,
Quod fugio appoſitum. Quidni? moriamur: vtrique
Annoſus tortor iam proxima fata minatur.
Soluendum hoc penſum, quid differo? fœnus is auget
Dîu moriens morti, mortis qui tempora differt.
Annorum pondus nihil æſtimat ille meorum,
Grandæuumque negat, qui quàuis morte minorem,
Aut reputat leuiorem. Nonaginta ſepulchro
Annis illaqueor, nec poſſum viuere velle,
Sed nec poſſe velim. Pietas veterana recedat,
Tergáque det tandem? pulcherrima fabula vitæ
Sub finem facto penitùs ſordeſcat in vno?
Dîu nimium frontem ſine fruge hanc tempus arauit,
Nî meto laureolam; gaudere m occurrere fatis,

Si fugerent, & pro patrio me dedere iure.
Finis naſcendi eſt, vt honeſtâ morte cadamus:
Cumque mori ſumus indigni, dignum eſt moriamur.
Sum durus nimis? Erratis. Num corpore ſcabro,
Iam ſolui cupidam valeat configere mentem
Vitæ ardor nimius? Jam noui accerſere mortem,
Et peccare magis fugio. Mouet ipſe tenaci
Propoſito immotum confector ſtare, lacertos,
Semineceſque animos, ſeniúmque accingitur impos:
Effert me, mox effertur. Cur verbera ferre
Præ ſenio nequeam, quaſque ille infligere pœnas?
Eſſe quidem miti pugnat ſenio eſſe ferocem,
Eſſe decet fortem. Natura imbellis vt vni
Concedat fato, tali eſt immota tyranno.
Mortis inexpertæ nouitas fruſtrà eſſe timendum
Suggerat, hoc dudùm peragunt mea munia munus;
Sacrificus ſum, fuſum propinare cruorem,
Aſſuêui, nec iam propero ſacrare ferinum,
Hactenùs exteriùs, libamináque offero parua,
Ignauus Myſtes, propriæ pietatis auarus,
Déque ſuo, largus largitori, hoſtia tandem
Ipſe velim vt fieri, toties pia ſacra litaui.
Aſt eſum finge, & labris illude, tyrannus
Obſequij vt circumſcribi ſimulamine poſſit;
Hoc velit, at quid erit? ſimulare rogatis, amici?
Sed ne vtinam! fictus ſit amor, qui fingere ſuâdet,
Sincerum magis eſt ſenium mihi, fingere mendax
Non valeo, fidei antiquæ perhibente colorem
Canicie. Dignum Græcus ſimulare ſenectâ
Proditor eſſe ſuâ reputet, laudíſque videri
Perque fidem, poſtque ipſe fidem ſi perfidus ibit:
Non illi ſimilem fidei trademus Hebræam.
Relligio meretrix non eſt, pigmenta repellit:
Non fictè peccat, fictè qui peccat. Amici

Neſci-

Neſcitis conuiuales, in pectoris ima
Secretoſque aditus quas lynces numina condant.
Jmpermiſſa necem ſapiant quod fercula, lex eſt.
Hâc mors inceſſit rimâ; ſeruire neceſſe
Legi eſt, at vitam quorſùm producere mallem?
Quam tales eſſe eſcas, malo eſſe eſca. Tyranne,
Pergimus, anteîbo cunctos, permitte volentem
Sponte trahi, compone minas, pro munere mors eſt,
Non moriar totus, mihi cælo eſt vindice cautum.
Flagra miniſterium verrendo grata ſubibunt
Pulueri, in omne malum te collige, in omnia damna,
Solemnem æthere conficies reddente ruinam;
Cæde, ſeca, reſeca, vulnuſque in vulnera conde,
Viſcera ſcrutare, atque volentia perfode clauſtra.
Me nequiit toto Reſpublica tuta manere;
Tentabo, vt fractus poſſim, maiora. Valete:
Quod metuiſtis, amici, ipſum laudabitis olim.

Ferri auidam, virus ſi tollas, dixeris hydram.
Non conſanguineos vmquàm præclarior inter
Inuidia orta fuit. Iam nîl mors ſæua timetur,
Sed mora, iam de ſupplicijs pia iurgia certant.
Ne perturbatè Antiochus ruat, ordine crimen
Aggreditur primò natum, quò mater ijſdem
Orbetur gradibus, queîs mater cœperat eſſe:
Apponítque cibos puero, quos ante Eleazar
Abnuerat, ſatis hoc vnum, ne tangat & ille.
Lingua auerſanti præcidi iuſſa. Tyrannis
Linguæ terribiles, in linguas cautio prima eſt.
Sed quid agit? linguâ calamum facit, ecce cruentum
Hoc fruſtum terram ſignans manifeſtior index
Scribendo, quam dicendo eſt. Lictore putandas
Certatimque manus, vix iuſſus, porrigit ambas.
Poſt linguas ſunt prima manus formido tyrannis.
Dextráque vbi victrix cecidit ſecura ſecuri,
Mortua palma rapit palmam, terráque iacente
Oſtendit præiens fratrum cœli ardua turbæ.
At ſignâſſe parùm, properè veſtigia firmat,
Atque pedes ſuccidendos vt, promptior iret
Quò contendebat cupidè lictoribus offert,
Vt iura infractis patriæ aduerſaria legi
Calcibus attereret, meliùs, pedibus ſine, conſtans.
Hermetis veram effigiem! quà linea recti
Signetur. Tandem ludens mortalia, morti
Illudens, ſciſſa deglubitur vndique pelle.
Non amat extinctos, ſed amat lentè morientes
Immanis feritas. Meliori pulcher amictu,
Exutum ſeîpſo attonitus ſe ſpectat Ephebus,
Non alio ſenſu, quàm ſi ſibi ſindona ſternat
Iam dormituro. Si poſſet, dicere vellet;
Barbare, nulla mihi eſt, quam diripis, in cute virtus;
Jllam curaui nunquam. En tibi corporis huius

Vaginam, nil præter habes, ſine cortice robur
Obdurat ſolidum, duratque, ablataque rursùm
Vel nolens ſpolia amittes, ad meque redibunt.
Non vel ſic mollitus adhùc feruentis oliui
Frigitur ardori. Fremitum ſartaginis audis?
Nonne oleum querulum gemit? anne tripudiat iſto
Subſultatque vado martyr? Tormenta voluptæ
Plena! nec in medijs tanto diffluxerit vllus
Deliciis luxu. Thermæ, portuſque ſalutis!
Et quid martyrium, obſequij niſi gratia facti,
Quamquàm animo infeſto. Sic ergo oleumque, operamq;
Perdidit in primo. Succedunt ordine fratres,
Fortiaque euoluunt mox ipſi exempla daturi.
Diuerſæ eſt oleum, alterius ceroma paleſtræ.
Martyrio dantur cuncti fratrisque, ſuoque.
Antiquæ fidei linguas, anathemata pendunt,
Et fidei ſpecimen, ſectis in fœdera dextris
Sponſantur cælo, cunctique ad Olympica currunt,
Præciſis pedibus, palmaſque & præmia palmis
Deſectis rapiunt, vnctique in regna ſacrantur
Vno omnes oleo. Lychni ſeptemplicis inſtar
Matrem circumſtant: omnes, ne plura; locuti
Elingues, tripodem, ſua carmina, clibanus audit;
Et meliora ferunt, ſileant oracula, Delphis.
Hebræûm ſolida admiratur Græcia fata,
Nec conferre ſuos, ſolo his ſapientibus audet
Æquales doctos numero. Inter funera mater
Ploret? Non pluſquam lapis hic. In lumine riſit
Ipſa ſuas lacrymas alieno, Heroas adhortans
Heroïna, ac in cunctis mirata ſeipſam,
Jam mater toties, toties iam martyr in vno
Poſt ſeptena die natorum funera demùm
Exarſit, quos præmiſit, ſociata planetis
Adiecit firmamentum. Illos ponè ſequaris,
Nulla ſuperſtitio, cæleſtia, lumina, fratres. RA-

RAZIAS,

Ex Leui.

ETHOPOEIA.

EN tibi inaudita hîc offert ſe mactè, viator,
Ad libertatem via: virtus magna prçiuit,
Quà vitium fuerit ſectari. Fortè Nicanor,
Infeſtis ſurgens odijs, Iudamque laceſſens,
Vno omnes fiſus ſe poſſe domare ſubacto,
Et vincto totam Raziâ vincere gentem;
Captiuum inquiri iuſſit; confugit ad enſem
Ille ſuum, nec pro voto egit, vulnere aperto,
Quam tota vt poſſet mors ipſum intrare, minore;
(Mos ille eſt morti, vix ſera optantibus inſtat,
Et propera inuitis) ferrum ergò, vrgente cohorte,
Ignauum obiurgans, muro ſe miſit ab alto,
In libertatem vt præceps velociùs iret;
Ne vel retrò datum eliſâ ceruice perire,
A tergo fugitiuam animam prodire pudebat,
Magna nimis potiùs, vel fors maiore petebat
Emitti egreſſu. Deîn fractùs & integer, agmen
Infregit, ſaxóque affuſum hortatus, ad inſtar
Suggeſtus, populum, daret æqua vt pondera verbis,
Penſilia ipſe ſuo de vulnere viſcera fundens,
Ambabus ſparſit manibus. Vis roboris ingens!
Impugnans ſemet, ludit, proïcitque ſeipſum,
Et ſecura animæ penetrales dextera ſedes
Scrutatur, merſæque altùm ſacraria mentis,
Prædo ſibi exuuias è ſciſſo corde calentes

Prodi-

Prodigus euellit, ſua vulnera vulnerat ipſe;
Seminecem populis ſe diuidit, vt ſua donat
Viſcera, quæ rurſùm non vt ſua frangit; & inquit:
Hæc libertatis, ciues, ſunt ecce trophæa,
Hic animus ne vel fibris vult eſſe ligatus,
Proiicio vitæ nodos, & vincula rumpo.
Facundis & quis pro roſtris veriùs vnquam?
Iſta medullarum ſuâda, & non ſola medulla
Suâdæ erat: Actæi vel ſic ſuperare laborans
Vota ſenis, pectus trans rimas ille loquentûm
Inſpicere optauit, verùm hic orator apertus
Non vocem ſolùm, ſed vocis & organa pandens,
In ſparſum abiecit cum verbis viſcera vulgus.
O ſecuram hoc libertatis haruſpice plebem!
Qui ſua ſacrificâ laniat, dum conſulit exta
Ipſe manu, & tutum ſaluumque enunciat omen.
Antioche, hîc fruſtrà impatiente tyrannide ſæuis,
Ingenuos adeò non coges. Vîncla minaris?
Sed libertatem ſtricto pugione recludunt.
Muros? iſte gradus demiſit. Ferrea vîncla?
Mitius hæc rumpent, ſua quàm inteſtina reuellant.
Nónne iugum? at potiùs tenta, ſi frangere poſſis,
Flectere vis fruſtrà. Poterit vel inedia quidquam?
Proiectis quoque viſceribus ſed viuere poſſunt.
Illa petis! ſponte eiaculantur, & arcubus ipſi
Sufficiunt neruos, quondam vt feriâre, tyranne.
Prô, quali ingenio pro libertatis amore
Sæuitum! Ipſe ſuum Titij inclementior hauſit
Vulture trans coſtas pectus. Vis pingere amorem?
Razias ſic è ſaxo ſe diuidat ipſum,
Viſceráque euacuet. Patriæ ne dicito patrem,
Sed matrem potiùs, fuſo qui corpore latè
Amplexus ciues, ceu mater gignere viſus,
Atque ſuos libros facere: ô ſi creſcere poſſent

Hæc

Hæc inſperſilia ! ô tantum non ſemina robur.
Vlla darent ! Tandem meritorum & mortis honore
Plenus , & exhauſtis extis legauit euntem in
Semianimes populos animum , vitamque recidens
Jpſe ſibi, haud parcè properauit munia Parcæ.
Conſueti officijs fati nil debuit , & ſe
Jam vacuum ſeipſo maternam geſſit in aluum,
Et fracto integram diſſoluit corpore mentem.

MA-

MATATHIAS.

Ex Leui.

NEMESIS.

CÆlituum Nemeſis, Diua ô iuſtiſſima, nata
Numinis Empyrei, & fati cogentis alumna,
Dic, Leuitarum ſtimulos patientia quales
Suffixos ſenſit, generoſo vt vertere marte,
Martyria auderent? ſcio: poſt tormenta, neceſque,
Sanctorum enormem ſtragem, migrârat in vrbem
Deſertum, ciues etiam in deſerta migrârant:
Hâc Patriâ infauſtis non eſt felicior vlla.
Tu, virgo, æthereo ſolio delapſa iacentem
Pontificem appellans Matathiam, hâc voce locuta es:
Quid cinerarium agis ſenium? zelúſne ſepultus
Hoc dormit cinere, at focus ille æternus, in æúum
Iuſſus ſeruari, hæc flamma inſopita, ſacerdos
Quam vigil obſeruet. Nunquid, cùm occidere poſſis,
Et liceat, cupis occidi? Quàm robur inane,
Quod ſolum patiendo valet! Dabis ergò cruorem
Totum, Relligio vt viuat. Demum ipſa peribit
Exanguis. Contra armatos quìn corripis arma?
Qui miſeros faciunt, miſeri te vindice fiant.
Perge agedùm, viuum extinctus te ſentiat hoſtis.
His punctus monitis præclaros apparat auſus,
Abs populo princeps, abs templo, ariſque ſacerdos.
Cæli militiam, contrà pugnare tyrannos,
Se, natos, totamque domum in pia caſtra recenſet.
Intereà, bellum, Nemeſis Diuina, dediſti

Pro

Pro belli ſigno, cælo oſtendente coruſcas
Armatorum acies, equitumque micantia in auro
Agmina, vt indubios victoria ſpondeat illis
Succeſſus armis; quid inexpugnabile forti
Opponas auro? timuit tua prætor Apelles
Conſilia, & potiùs placuit clementia, qualis
Eſt magè crudelis, blandâ ſpe conciliare
Sacrificum, poſitiſque minis ad thura litanda
Pertrahere idolis. Caruêre perîcla perîclo.
Nîl metuit, qui nîl ſperat; ſed nec modò legem
Atque Deum ſeruat, ſed deſertorem adolentem
Idolis, ignes, quos antè impunè fouebat,
Oppreſſurum, ipsâ iugulat zelator in arâ:
Prætoris deîn intendens in pectora ferrum,
Cuius mox oculos ſpreuit, velut ante miniſtrum
Sacrilegum, authorem mora tollere nulla ſacrorum.
Iudicis ipſe ſui lictor, vindexque ſacerdos,
Jlle ſacerdotis iudex reus: at cui talis
Victima procubuit? certè, eſt à dæmone rapta,
Cæſa Deo, ſanguiſque in venas relligionis,
Vulneribus redijt factis, Prætore cruentam
Iudæi reſpirârunt animam expirante.
Quantillis quantùm rebus dependet! in vno
Interitus voluebatur pugione, ſaluſque.
Dux animi præſtans, tantis ſucceſſibus auctus,
Sub vexilla Dei ciet agmina, claſſica, voces,
Signa, facit pugio, queîs ſancta & fortia cogat
Prœlia: at in patrios aſtus, fraudeſque doloſæ
Confugiunt vulpes: toti ſacra otia plebi
Mandabat lex & feſtum, cum Marte laceſſunt
Hebræos ſubito. Quantùm, ignorantia, damnum!
Ignari pleriquè ac ignaui, arma recuſant
Arripere, & potiùs, quàm vitam, ſabbatha ſeruant.
Tanti eſt relligio: cædi, quam cædere malunt.

Intempeſtiuæ obiurgans pietatis amorem;
Suâſiſti meliora, & ſurge, inquam, Matathia,
Deſide quid ſtertis cultu? Fac ſabbatha Marti.
Hanc requies, ſacram non fecit inertia lucem;
Nulla quies melior, partis quàm condita palmis.
Jpſa ſceleſtorum peragat ſolemnia cędes,
Hi ritus hæc feſta decent. Inuicta virago,
Terribilem temet ſtragem ſpectando beaſti,
Fregiſti curru Græcas properante phalanges,
Orbita vulnifico manſit verſata profundo,
Atque triumphali ſplendentia gramina ſucco
Pabula equis, & gramineam tua tempora circùm
Fecerunt; at ne pompæ funalia deſint,
Idola & myſtas, atque impia templa cremari
Iuſſiſti, & fumant; quæ Græcia adorat, aduris,
Et thus dignum adoles: Inque hæc incendia ridens:
Antioche, hậc dudum meritus clareſcere flammâ,
Iam verò illuſtris poteris cognomine dici.
Sicque iugum excuſſit Matathias, cuius in vnam
Tota domum virtus compulſa migrauit Iüdæ,
Confecto bello, fatis confectus & annis,
Dum mundo virtus impar cœli ardua pulſat,
Vt palmas numeret, palmis quas ſeuerat olim,
Inuida Roma ſuo quod fruſtra adſcribit Iülo,
Axe Deum emeritâ clarus ceruice refulſit.
Lambere mucronem tuque oblectata recentem,
Iö, inquis, ſuperi, nihil vnquam dulcius hauſi.

JVDAS,

IVDAS MACHABÆVS,

Matathiæ Filius.

TROPHÆA.

REmigiis feſſo tantiſper parcite ponto,
Non eat hoc illaudatum venerabile litus.
Ille obeliſcus præſignis terræ Modinææ
Hunc apicem ponit, cunis tumuliſque beatæ
Tot Machabæorum, nutantiáque arma columnæ
In cælum tollunt, quorum formidine tellus
Olim contremuit; Iudæ inter ſtructa trophæis
Mauſolæa vides. Bis princeps ille, ſacrorum,
Militiæque miniſterio, maiora patrauit,
Quàm fieri poſſent; tam magno corpore mentem
Res geſtæ dignam oſtentant, lorica gygantûm
Sublimis molem iactat. Pro lege, Deóque
Suppetias natura illi ſuffecit, & æther
Veſtiit angelicos ciues cœleſtibus armis,
Aër ſpectra dedit, vigilans præſagia ſomnus,
Quîn ipſam poſt ſe traxit mortem auxiliarem.
Armatus Hieremiâ, & vate Oziâ animatus:
Huîc Deus imperio ceſſitmet centuriatus,
Fulmineâque manu fecialem ſe dedit, illum
Dummodò pugnare vt credas, Iudamque iubere,
Aque ipſo ſteterunt hoſtes, quos fulgura vultu
Vibrata amentes fecêre, & funere cæco
Inter ſe ludos partiri. Ludere credas
Iudam, cùm facili miſcet funebria Marti.
Magna trium virtus regum patefacta periclo eſt:

Epiphanem ſolo externauit nomine, ſtrauit
Pugnando Eupatorem, nec morte extinctus in vnâ,
Demetrium exagitauit. Nicanore tyrannis
A tribus emiſſo, terque impia bella mouente,
Nudauit primo congreſſu, deînde fugauit,
Occidit demùm. Exegit, quem fuderat olim
Sanguinem Apollonius, cladis, cædendo ſceleſtos,
Sanctorum vindex, Ptolomæum cumque Sehone,
Gorgîâque in prędam, ſpoliandâque caſtra volantes,
Prædatus, Bacchidem, Timotheumque ſeueros
Quam bello, magè blanditiis: Menelaon & Alcim,
Ne pereant ſæpe admonitos, mauorte fugauit.
Eripuit palmas bello inſurgentis Idumes,
Arabibuſque oleas conceſſit; fulminis inſtar,
Contrà exercentis quæque obluctantia robur.
Sub Lyſiâ octoginta millia, militis impar,
Inde ſub Antiocho, quindena & millia centum,
Timotheo, centum viginti millia parua
Percuſſit manus, & Ogygiâ ceu clade peremit.
Succeſſu melior, numero impar, robore ſummus,
Omnia lugendo concepit bella, peregit
Ludendo. Famam Judæ vt monumenta loquantur?
Omnis in integrum nimia eſt victoria mundum.
Deleuit flammâ Galaad currente rebellem,
Perpetuiſque viam ſignauit in ignibus, inſtar
Præſtêris. Deuota inferno idola ſacrauit,
Idolis myſtas, vt mutua damna querantur.
Præſidium Gazaræ, ingens vbi & æmula virtus,
Inſultans Solymæ, bis deno milite certus,
Euertit. Maſſam ſtruxit ſibi Maſpha virorum,
Quos ea falx meteret. Ventoſæ altiſſima Caſphis,
Sed fruſtrà linguæ, cæſorum ſanguine ſtagnum,
Sed tunc non auxit ſtagnum. Sic Carnion alto
Vndique foſſa ſitu, vallatáque ciuibus Ephron,

Impie-

Impietatem nouerunt nec mœnibus vllis,
Nec manibus tutam. Ioppe, & naualia Jamne
Incendit, propriiſque Pharon vel finibus, igne
Horrendam inſtituit, portúque incendia vertit,
Hoſtibus vt bellum, patriæ fax illa ſalutem
Nunciet. Et poſtquam Solymæas terque quaterque
Tutatus ſedes, ſolenni cumque triumpho
Inuectus quater, atque ſuperſtitionibus aras
Luſtrauit, tabo fuſi polluta cruoris
Delubra abſoluit, ſacras natalibus ædes
Templa nouis cælo ſtatuit, iuſſitque renaſci
Feſta ſacrâ templo inſtaurato luce quotannis,
Æterno fundans redeuntia gaudia ritu.
Sat fortis faciendo; ſed patiendo probetur.
Vrbi donato imperio, deſerta quod antè
Claudebant, cultus poſtquam reparaſſet Hebræos,
Græcorum pacem populis, Romamque ſecundam
Adſtrinxit Patriæ. Magni quo funere gaudent,
Pugnando ceſſit, dum inuictus vincere ceſſat.
Solùm hominem letho, fuſo vel ſanguine noſſes.
Hunc fratres inter ſua compoſuêre trophæa,
Pyramide ingenti erectâ, vt cęlúmque, ſolúmque
Cui famæ anguſtum fuerat, ſuper ęthera ſurgat.
Conſpicua impendet ſublimi vertice nautis,
Promiſſura pium timidis fiducia portum;
Qui viuus terris, vt mortuus imperet vndis.



IONATHAS.

Iudæ Frater.

POLYTICON.

Diuinum docuit quid poſſit robur, Iūdas,
Humana & quantum valeat prudentia, fratre
Ex Jonathâ diſces. Maior vis regna parando
Quæritur, at maior ſolertia parta tueri.
Antiochi occiſor Libycis Demetrius oris
Regnabat, cæſi repetebat patria regna
Natus Alexander; Jonathas quî fecerit, audi:
Inter vtrimque procos Aſiæ, meritoria ſtabat
Judæa (hîc diſcant, clûſi maioribus inter
Magnates) cum diſſidiis agitatus & ipſe
Vrbanis Jonathas, poſt partes vulgus abibat
Victoris, cæſo Iudâ, Bacchidis & alter
Occiderat Jambris frater, ſic nempè leoni
Extincto inſultant lepores, vrbs vnica plures
Tunc vrbes habuit, multiplex, non caput vnum.
Ceu ſacro & ſaxo, Jonathas deprênſus vtrîmque
Atroci Jambri fregit conuiuia pugnâ,
Fercula queîs ferrum turbauit, lancea lances:
Inſtrauit tumulos, thalamos Bacchidibus inter,
Quique accumbebant epulis, ſtratiſque cubabant,
Non ſurrecturos pare ſomno occumbere iuſſit.
Ciuiles, mox externa vt diſcrimina ſenſit,
Sopiuit rixas, & pacis fœdera legit,
Quam fratrem vlciſci. Imperio ſpes nulla ſalutis,

Inte-

Inteſtina vbi ſoluuntur diſciſſa, domíque
Compôſtis rebus, viſus conducere poſſe
Vtrique externo; quid agat? ſeſe addere nulli,
Martem inter geminum, res eſt intuta; timendum
Vtraque, nî ludas, de te deîn alea ludat,
Vnum ergò perdas, ne poſt perdâre duobus.
Delectu obſcuro (varia eſt victoria & anceps)
Viribus hinc inde expenſis, qui fortior armis,
Demetrium iuuit, ſurgit cum factio, ſemper
Pars vrgenda valens minùs. Id vel bruta docebunt,
Fortè canes de præda aliis rixantibus adſunt,
Aduerſos in ſe vertit macilentior omnes.
Fœderis in pignus depôſcit militem, & arma,
Atque vades, quos cum Sion Græci arce tenebant.
Curandum primò, qui aliena negotia cogis,
Maturare tuum poſſis, tua commoda marte
Finitimo elicias. Fundo felicior exit
Turbato naſſa. Inde breui fortuna reuerſa
Diuerſam in ſortem: per præmia fortior alter
Solicitat Jonathan, & Pontificalia ſpôndet:
Demetrium contrà armatur, qui claſſica vixdùm,
Præſagæ audierat timidus prænuncia pugnæ,
Vt fugeret velox, vitam poſt terga reliquit,
Seque ipſum effugit. Ionathan tamen argue nullus,
Nullius fidei, hoſtile & noſcebat amicum
Demetrij ingenium; falſi in periuria, præceps
Omne nefas ſibi moliri: mox pace futurum
Hoſtem, qui fuerat pugnæ comes, vtque feriret,
Cumque exquirentem, quò fœdera læderet vnde.
Proſperitas ſoluit, quæcumque aduerſa ligârunt,
Abrumpunt oleæ, quæ iunxit vincula Mauors.
Fortè iter hinc iterùm fortuna volubile verſans,
Demetrij, ſoceri Ptolomæi viribus auctum,
Oppoſuit natum, cæſi qui bella parentis

Rurſùm integraret. Ionathas conſultus ab illo
Stare, & Alexandrum defecit, eumque fugacem
Arabicus fodit gladius. De gente Pelaſgâ
Omnes, nemo bonus, ſed fors magis vtilis vnus,
Nemo fidem pactam fidus ſeruaſſet Iūdę,
Hanc eiurabant omnes, meritò capiendi,
Ne capiant. Parui iuncto nec fœnore lucri
Fœdere profecit, vindexque aſſertor, Hebræos
Reddidit immunes, proprijſque in finibus vrbem
Concluſam tutò ſepſit, Solymæ ante minaci
Munimenta parata manu, ſibi ſubdidit arcem,
Vrbis quæ fundata iugo, imponebat & vrbi
Alta immite iugum. Securum æſtuâria ſomnum
Nunquàm promittunt. Sors irrequieta vagatur;
Antiochi puerum extincti ciet vltio patris;
Demeritus Ionathan maiora hic præmia ſpondet:
Demetrium contrà Antiocho coniunctus, in omnes
Prouidus euentus, cautè iam parta tuendo,
Vrbem præcinxit muris. Sua ſæpe tyranni
Munera formidant. Sorte hâc requieſcere poſſet,
Si varians tandem fortuna quieſcere poſſet.
Antiocho parti Tryphon dulcedine captus
Præfectus regni, dein, libertatis amore,
Speque vocat Ionathan Aſianæ. Jungitur illi
Antiochum contrà. Semper ſic callidus heros,
Græciſſans cum Græcis, præſentem atque futurum
Hoſtem, alio trudens alium, libabat vtrimque
Ex vtroque aliquid. Verùm heu ſapientia cæca
Politices! horis nemo ſapit omnibus horum,
Non Ionathas ipſe: exceptus qui nempe Pelaſgâ
A Tryphone fide captiua in vincula miſſus,
Arctiùs amplexus, quàm mutua fœdera vellent,
Cum natis demùm occiſus, natique, parenſque,

Funeribus

Funeribus paſti alternis. Certè inclytus herôs,
Nec Iudâ minor, ambos ſi conferre libebit;
Pro Iudâ, cęlum in victricem venit arenam,
Pro ſuperûm cultu, Ionathas pugnauit & aris.
Extinctum Proceres patriæ fleuêre parentem,
Hoc mage lugendi, quia tanti Principis orbi.

ELEAZAR,

Ionathæ Frater.

EMBLEMA.

Magnanimam ſculptus ſaxo hoc emblemate ſignat
Mortem elephas, perijt ſic, quomodò cernis humatū.
Antiochus regni heres, perfidiæque paternæ,
Totius aduerſùm Iudæam Aſiæ arma mouebat:
Nec iam bella geri reputans, niſi bellua ſecum
Pugnaret, nec ſolùm homines, adſcribi elephantes
Militiæ iuſſit. Mortis noua baiula monſtra
Ordine terrifico incedunt, arcem eſſe putares
Arce ſuperpoſitam, nimirum carnea ferro
Maſſa ingens nutat, buccis telumque tubamque
Et flammas, oculis horrens deformibus effert.
Barritu irrita tela vocat, quæ pelle repellat;
Caſtrorum fœta eſt monſtro ſudante ferino
Sarcina, mobilia hinc armamentaria pugnant,
Armati cunctis pluſquàm triginta grauamen,
Securi ſpectatores ſua vulnera torquent,
Et velut è podio, quæ exercent, funera laudant.
Tot ſe maiores, tergo vnica bellua geſtat.
Jmmane humanis diſcit ſæuire coacta
Beſtia ab exemplis, & miles inebriat vuis
Purpureis oculos, acuat liquor ille furorem,
Commendet ſimiles, doceatque expoſcere ſuccos.
Vnus præ reliquis ornatu & mole ſuperbus,
Cuique apices fului, loricáque regia, pondus,
Cultu inſeſſorem viſa eſt fera prodere regem.

Hunc

Hunc Eleazar depoſcit trans caſtra, ſcopumque
Vnum virtuti, & conceptæ deſtinat iræ,
Humanis rebus certa eſt tutela, latere;
Conſpicua exitio parent. Fundensque cohortes
Et denſum rimatus iter tota agmina fregit,
Ferratamque metens capitum, ceu gramina, meſſem,
In brutum è medio morientûm irrepit aceruo:
Nequicquam telis imperuia corpora tentans,
Duritiem pellis cincta vndique bractea circùm
Claudebat, ſcopulum armatum, vel mobile ferri
Dixiſſes pondus. Quantùmuis maxima, rimas,
Quaque petantur, habent. Succeſſerat hùc Eleazar,
Vt pecudis cataphractæ vterum tentaret inermem;
Iam nil cunctatus cadere, vnà dummodo & hoſtis,
Vtque exaltatâ excutiat de mole tyrannum,
Ipſe premi cupidus. Sic fermè ſæcula voluunt,
Opprimitur bonitas, caſuſque ruina malorum eſt.
Tum turris prono ferrata euertitur armo
Cuî pugio fulmen tulit, occaſumque puſillus,
Et magnus furtiuo ictu procumbit humi Mars,
Militiam ſternens alto, ſtricta arma, reuulſam,
Et de ſub queîs incumbat ſibi viſcera ſternens,
Ingenioſa ſui vindex, moriendo ſeipſam
Vlciſci viſa eſt, proprio incuba machina letho.
Quanta Machabæis libertas! malle perire
Sic fractos, quàm ſeruilem traducere vitam.
Fruſtrata heu virtus! elephanto namque nitebant
Regia ſigna, at non Rex. Plerumque arma tyranni,
Non animum geſtant, quantumque timentur, & ipſis
Formido eſt. Telis loricam obiecit inanem
Pectoris. Antiochum petijt, fera bellua caſum
Pro rege oppetijt; rectè, ſimilis ſimili, imò
Jlli eadem penitus, duplicis nam cordis, & excors,
Et fera vterque fuit: quam regia beſtia brutis

Eſt elephas, brutum reges ille inter. Hic error,
Magnamine ô martyr, tibi feliciſſimus ictu,
Et iactu fauſto admiſſus; ruit alta tyrannis,
Decuſſâ calcas victor ſub mole, quod optas;
Et quam feciſti, victoria quanta, trophæi
Pondere cognoſcis: mirum! noua pompa triumphi,
Fers ipſum, quo alij ferri gaudent, elephantum.
Non te vulgari fuerat fas funere tolli;
Præclaram amplexus mortem ſpolia inter opima,
Extinctus regem ſpolias: inſignia adornant,
Quæ ſuppreſſum onerant, vel per monumenta perennis,
Quæ tibi feciſti, tua Mauſolæa ſepultum
Excipiunt, neû forte procul ſegmenta petantur,
Materiem incidendo operi, tua geſta, miniſtrans,
Debellato æternum ebur ex elephante paraſti.

SIMON,

SIMON,

Eleazari Frater.

DIPLOMA.

PRæclarè, & factum bene. Poſtquam Græca tyrannis
Centum ſeptuaginta ſeptem ſeruerat annis,
Orbes adde nouem Lunæ, cum plebe ſenatus
Iudæus, magni liber virtute Simonis,
Confeſſus ſeruatorem, hæc encomia vulgat:

Vindiciis libertatis, magnoque datori,

SIMONI,

SACRVM:

—— Cuius prudentia nulli
Iudicio inferior ſummi explorata parentis,
Fratribus aſſedit, Conſulq; & fortibus auſis
Conſuluit Patriæ. Pietas ſpectata, paterna
Clauſit honorificis germanáque buſta ſepulchris:
Totiúſque rei fratris nutantia caſu,
Nec viduæ declinauit moderamina plebis,
Quem tamen admonuêre exempla domeſtica, quanti
Purpu-

Purpura ſtet. Prima illi in ſummo Pontificatu
Depurare animos cura, optima templa, profanos.
Militiæ ductor ſacræ eludendo tyrannos
Aut elidendo felix, Solymæque potitus
Acropolim, Hebræos inſuetâ pace beauit.
Sanguinis inde vrbem complexus & æris inanem,
Munificè proprio ferrum armáque condidit auro;
Et ſeptis agros, & portubus æquora muniit,
Vt terra & tutò poſſent ſulcarier vndæ.
Semi-deo vultu ſimilis, cultúque decorus,
Maieſtatis Athenobium radiante nitore
Attonuit. Socianda vocans in fœdera Romam,
Auxiliare aquilæ vibrauit fulmen ab vngue.
Ingrato exceptus genero in conuiuia tandem,
Deceptúſque, ſuum & natorum fundere iuſſus,
Morti impar, propinauit vel ſpontè cruorem.
His meritis mundo vt manifeſta ſit æmula virtus,
Et patriæ quidquam ſiet hinc ſolaminis orbæ:
Hæc in honoratis ſcribi monumenta tabellis,
Perpetuóque ſtylo & famâ æternante referri;
Gazophylaciis, templorum frontibus inque
Affigi mandant: æuum gens plaudat in omne.

IOAN.

IOANNES HIRCANVS,

Simonis Filius.

EPILOGVS.

ACcipient veteris finem hic teſtamina legis,
Hiſtoria en orbis totum ſe vertit in orbem,
Hoc claudens, iterumque nouo incipienda Ioanne:
Occiduæ tandem ſynagogæ eſt Heſperus idem;
Lucifero naſcens Eccleſia ſurgit eodem,
Exodio veteris, renouatæ exordia legis
Conueniunt, hærent ambæ compagine certâ
Paginæ, & extremis reſpondent prima, ſuperno
Conſona conſilio. Cardo cæleſtis in vnum,
Cunctorum vt lecto compendia fine legantur,
Virtutes pro operis cunctas colophone coëgit.
Epilogo breuitas ne deſit, triplice claudo
Hiſtoriam verbo: Latrones perdidit ille,
Strenua bella egit fortis, muroſque refecit.
Trilógio elogium totum complector, at olim
Noſcere poſteritas plura & maiora ſtudebit.
Antiochum pacis ſepteno fœdere, terque
Demetrium bello auertit, populumque ſuperbum,
Hircanos reprimens, factus ſibi nominis author;
Et palmas domitor tulit impietatis Idumes.
Trita hæc, & paſsim fortè inter penſa canantur.
Diuinus codex dum ſupprimit, exprimit omne
Ioannis meritum. Summæ hæc faſtigia laudis,
Vnus poſt omnes, poſt hunc encomia nullus
Obtinet; eximius princeps, veréque ſupremus

Claudat vt humana acta, & Commentaria Diuûm.
Hâc calamus cerâ defixus Pneumatis hæſit,
Attonito ſimilis. Quantæ præconia molis!
Diuinam potuêre manum laſſare. Peracto hoc,
Jpſe Dei feſſus reſpirat Spiritus. Et tu
Reſpira, & toto renoua tibi pectore vires.


IESVS CHRISTVS.
NOVA MUNDI ÆTAS.
SANCTI.
E. Quellinus del.
Richard Collin sculp.

Digitized by Google

Eleazari Filij.

Chriſti linea.

Mathan.	Panther.	Ex Leui.
Iacob.	Barpanther.	
S. Ioſeph.	S. Ioachim.	S. Anna.
	S. Maria Virgo.	S. Ioannes Baptiſta.

Ieſus Chriſtus Saluator.

PANTHER,

Eleazari Filius,

MATHAN,

Pantheris Frater.

PARTITIO.

AVdis? diuinâ contermina nomina tandem
Stirpe ſonant, Vicini teſſera Seruatoris;
Promiſſus qui mundo olim, dudùmque negatus
Irritat irritans vota orbis. Duplice truncus
Prodigijs impar tantis ſe tramite findit;
Et bino ſe ſtirps Eleazar ſtipite munit.
Iſthac Virgo parens dabitur, Virgo inde maritus,
Diuerſa è vario miracula palmite ſurgent:
Hanc Patriarcharum ducit ſacra linea rimam
Jre ſalus intrò vt poſſit. Prænobile ſtemma,
Vt ferat hoc germen, geminatur, germina tantam
Jngeminant ſtirpem. Quæ fœcundante perempta
Vitalique ſuam contraxit ſemine mortem,
Virginitas; iam fœcundo ſub pondere creſcet,
Nîlque gravis gravidante onere, imprægnata Virago
Virgineos fœtus fœta enitetur, & ipſe
Magna pudor parto faciet ſibi fœnora partu:

Stemmatis amplexu tanti conſtringitur æther.
Infinita poli, terris affinia ſient,
Authorem ſelecta ſuum factura creabit:
Conditor humanâ prodibit conditus aluo.
Diuinos Patres! cuius iam luce propinquâ
Afflati, ex interuallo ſplendore coruſcant
Virtutis ſuperæ. Dignâ cunabula ſtirpe
Cenſentur; facient dignam hæc cunabula ſtirpem.
Maxima ſe prodit, quod ſit ſtudioſa latere,
Dum rutilat Virtus. Mathân nîl nomina præter
Pagina ſacra refert; quas Panther amauit, haberet
Nunc etiam tenebras, luci defoſſa dediſſet
Nomina nî calamus. Mundo meliora reſeruat,
Corrupto cælum: quò quis crudelior, ipſo
Clarior hoc ſæclo, augebatque infamia famam.
Jmperturbatâ cum tempora pace vigerent,
Degener Hircani natus regnum inuidioſum
Fecit Ariſtôblus, capienſque tyrannica circùm
Hoc magè perfricuit ſtolidam diademata frontem;
Bracteaque ignarus quantùm tegat illa malorum,
Impos vt ipſe ſui regnet ſecurior vnus,
Noluit eſſe quibus regnaret: carcere clauſit
Patricios, fratrem ferro, matremque peremit
Confectam fame. At inuenit vindicta merentem,
Pectoreque egeſſit diſrupto vena venenum
Sanguineum, quem præ vomicâ, mens conſcia, fudit.
Iamneum matris Salomes ſuffecerat aſtus,
Fratris cæde reus, fratris nece turpè notato
Succedat. Machabæorum quo gloria tandem!
Cognati nunc eſt, hoſtilis prodiga quondam
Sanguinis. O Virtus quàm dilapidaris auita,
Antevoláſque breui patrimonia tempore pernix!
Perniciéque ruis facili, & veloce ruinâ!
Vix proaui retinet virtutes tertius heres;

Et

Et vulgò magnis amentia mentibus exit.
Hoc ſæclo Fratres Mathan, Pantherque modeſti,
Jmmodicum è Bethleem faſtum fugêre tyranni,
Jn Galilææ oras, ſuſcepti Nazareth vrbe;
Exſpectato illic Meſſiæ nidificabunt:
Inter ibi flores radix vegetabit Iëſſe.

BARPANTHER,

Pantheris Filius.

IACOB,

Mathani Filius.

NAVFRAGIVM.

Vos, geminum ſidus, cum Barpantherè, Iacobe,
Augurio lucem mundo præeunte ſerenam
Signatis, turbis finem, tumidiſque procellis,
Naufragium ex tuto miſerum ſpectare beati.
Iudæi clauum regni Iamnæus habebat,
Nauta ex naufragijs cautus, malè regna tenendo
Regnare edoctus, velis, ventíſque ſecundis.
Nauigium regni lætum ibat, carbaſa magnus
Spiritus æquabátque ſinus, altumque tumentes
Exſtabat tumidum fluctus, Gazamque, Diumque,
Seluciam ac Eſſam, Gaulanum oneraria ſecum
Plauſtra remulcabat, ſurgente reuincta triumpho.
Subfuit aſt nimio tempeſtas nigra ſereno,
Nauarchus primum letho quâ merſus acerbo,
Hircanúſque alter cepit moderamina Iamnes
Filius: ille idem proretes, atque magiſter,
Coniunxit regno mitram. Subuertere peſſum

Frater

Frater Ariſtôblus nixus, diſcrimine navis
Æquali, rector ſi nullus dirigat, aut ſi
Præſideat geminus. Pelagum vaſta alnus oberrat,
Atque alnum nautæ, nullúſque obtemperat, ambo
Cum præſint. Interque hæc aduerſaria velis
Intima diſſidia, atque admiſſi turbinis æſtus,
Externorum inſana ſuper, ſternacior armis
Venit hyems, Zephyrus ruit Heſperio orbe citatus,
Armeniuſque Eurus. Tigranes atque Lucullus,
Excidium rixati alienum altamque ruinam
Tentârunt, inter veniens profunda Charybdis,
Antipater, per quas fecit diſcordia rimas,
Immiſit bellorum æſtus; merſuráque damna
Prorſùs Ariſtôblum, ni clauo hæreret: at ille
Obliquando ſinus, cauto ſeſe impete fregit,
Veláque demiſit, Pompeianamque redactus
Incidit in Scyllam, rapido quæ turbine clauum
Judæi primum diſturbans cardine regni,
Arcem cum templo, proram, puppimque reuulſit.
Neu prodeſſe queat fors anchora ſacra, rudentes,
Queîs ſecura ſalus, fidei præcidit auitæ,
Compages nauis, legum tabulata reſoluit,
Quemque fatigârat longis erroribus actum
Nauſea Ariſtôblum, pro portu in vincula miſſum
Vorticibus Romæ cæcis abſorbuit, illic
Bis ſubmerſus, biſque emerſus, & in noua damna,
Cæſare amico, reſpirans: demùm obrutus vndis,
Et Pompeiano fluctu, lethale venenum
Nautæ oblata necem ferret cui nautea feram.
Exitus hic Judæ Reges tulit, atque valentes
Doctores Machabæorum. Miſeranda pyratis
Romanis præda; hi, gazas, ſparſaſque rapaces
Relliquias, tempeſtatiſque analecta tulêre,
Judæóque adipi Roma inueſtita ſuperbiit.

Naufragium regnis certum, diſcordia fratrum.
Lumina amica poli, cum Barpanthere, Jacobus,
Virgineam cœlo nauim, cui dat Mare nomen,
Empyreo ditem, totóque onerariam Olympo,
Subque gubernantis vigili cuſtodiâ Jóſeph,
Velificaturam meliore hùc alite ſpondent.

S. JOA

S. IOACHIM,

Barpantheris Filius.

S. ANNA,

Ioachimi Vxor.

EPITHALAMIVM.

CÆlo, vbi nîl agis, in terras deſcende Hymenæe,
Vt tua cœlum extra ſanctiſſima copula iungat
Cœleſtes animas, concordia gaudia, cœtu
Quam ſuperûm aſpicias, paria, aut maiora videbis.
En Joachim, atque Annam; Regalis ſtemmatis ille,
Illa ſacerdotiî deriuat origine ſtirpem;
Inſtituat dotalis apex vt vterque nepotem,
Pontificem reges inter, magnóſque verendum
Inter Pontifices regem. Quos fœdere cœlum
Æterno iunxit, nodo conſtringe iugali,
Cor geminum connecte, vel vnum diuide, vt alter
Ex alio, ſpiret ſponſus. Primordia dura!
Principio planges, cum panges; ille quaternis
Improlis thalamus luſtris, & non niſi fletus,
Producet fœtus. Faciet mora gaudia, Mater
Maiorem ſterilis grauido, quam mente, prehendet
Prolem vtero, ſua vota ſuper; natura ſtupebit
Nec fœtam ſolitis, fœtum nec legibus iſſe.
Hâc ſolâ extollent meritò ſe laude parentes,

Æter-

Æternus quod ſit, quod partus originis expers,
Et propagârint ortus abs crimine prolem.
Carnifices alij, quàm fiant ante parentes,
Conficiunt, dum concipiunt ſua pignora, & vno
Momento exponunt, cælo quam condidit author,
Orco animam, vitæque ſimul, lethique datores.
Sola parentis honos, nec onus, Maria ſubintrans
Ornabit maternum vterum. Præſagia tanto
Digna puerperio ne deſint, omina lætos,
Præuenient partus. Virgo, dum templa reſurgent,
Naſcetur; diuerſam aram cœlo Anna parabit,
Herodes aliam reparabit. Numini in illâ
Victima crebra cadet, ſed in iſtâ victimâ Numen
Ipſum erit, Et tantâ genitores prole beati
Dum creſcet, creſcent, & pignore mutui amoris,
Per natum viuent, queîs vitam accepit. Olympum,
Dixeris ô meritò quiſquis, Joachim eſſe penates,
Sacra Trias illic ſe trina in corpora ſcindit,
Vnitis animis, Genitorque, & Filia, Mater,
Nomina diſtinguunt equidem, ſed cœlicus, intùs
Omnibus idem ardor. Longæui vota parentes
Excedent, magni ſeſe cum Numinis eſſe
Mirabuntur auos. Hîc ſiſto, gaudia tanta,
Non valeam proferre, nec illi ferre. Silebo.

S. IO-

S. IOSEPH,

Iacobi Filius,

VIRGINIS SPONSVS.

TITVLI.

HOc triplici ſenium titulo metire. Maritus
Mariæ hic; lectus toto orbe videlicet, vnus:
Tanta virago virum, virgoque vt Virginem haberet.
Coniugium fortunatum! cui pro alite, cælum,
Pronuba-cui Deitas, & Sanctùm flammea, Flamen,
Dos, verbum. Hæc ſolùm curuit fuligine teda,
Virgineo ſeruans Hymenæo intacta nitorem:
Nîl animas præter, ſtrinxêre iugalia vincla.
Principium ipſe amor eſt, mediumque, & finis amantûm.
Nîl mirum Dominæ miſceri nolle Ioſephum.
Virginitas creſcit, ſociatâ Virgine, ſponſis.
Coniugium ſpondet cœleſtia germina cælebs,
Prodigióque nouo ſua per ſuffragia laudat
Forma pudicitiam. Sic nubunt denique palmæ.
Maiori titulo Ieſu pater ille vocari
Promeruit virgo; ac altorem paſcere alumnus,
Naturâ patruus, thalamis cum vitricus eſſet,
Officióque pater, priuignum Numen adorans
Nutrijt, enutriit, quam accepit, non dedit, ille
Seruando vitam genitor dedit, atque tuendo
Multoties oculis genuit. Prô gloria! nati
Patrem vnâ cenſere Deum, cœlique potentem

Exi-

Fxiguis arctare vlnis. Hic ſeruat, at ille,
Dum ſeruit, facit ipſe ſuum parendo parentem.
Cogit hic, exorent alii, vel Numen adorent:
Imperium, votum eſt patris. Quæ tertia laus ſit
Filius hic Dauid faber eſt. Mirabile, demùm
Iam ſtirpe illuſtri quod materiarius exit,
Nobilior proauis, tantum qui ſtemma reuelet,
Et probet antiquam ſe fabro nobilitatem.
Diuinę ſeries ergò retrograda ſtirpis,
Parta Deo in fabrum, fabróque refunditur olim
In proauos reges. Cælorum prouidus ordo!
Stemmate Adam tanto primus, poſtremus Iöſeph,
Agricola is, faber hic, peccati ſeuerat ille
Materiem, hic lignum ſecuit. Nec certè alienum
Patre miniſterium Chriſti ſubit arte fabrili:
Ipſe Deus faber eſt. Nónne & fabrile, dolare
Vaſtum æquor campis, orbem tornare, iugiſque
Inſpicare ſuis montes, excidere valles,
Et fabricarę homines? Ergò hunc legiſſe parentem
Non fuit immeritum; qui fabricat omnia, naſci
Ex fabro decuit. Sua quin natalia, Chriſto
Indignum ſignant mortis genus: inter eandem
Occubuit, vixitque artem. Quid ligna, terebræ,
Malleus, & forfex, claui? Vitæ illa miniſtra;
Sed conuerſa dein lethi inſtrumenta fuêre.
Reſpondit vitæ mors, arte domeſticâ eâdem,
Qua victus, funus, cunæque, cruceſque paratæ.
Vnde ſuæ dudùm viſus proludere morti,
Incepit naſcendo mori. Dauide Joſephus
Nil minor; hic faſces, ſoboles quos æthere nata
Collectim ligat, inter fabrileſque ſecures,
Imperiumque operæ latitans ſeruilis auitum
Officio exercet, maieſtatémque verendam.
Imperio pueri cuius ſtant cuncta cadúntque,

Virgo

Virgo præeſt mater, matri moderatur Jöſeph:
Imperii neque nomen abeſt, Auguſtus, Jöſeph,
Vertitur in Latium: meritò quem Nazareth vno,
Roma ſuum Auguſtum cùm felix tempore, iactet.
Quanto hoc imperium maius! cœlóque præeſſe,
Atque domi rerum Dominum ſeruare, potentes
Nullus opes confer. Meritum ſuper vnus hic omne,
Non impetrauit, ſed cælum exegit, aliîſque
Cum dono concedatur, ſua debita poſcens,
Æterno hoſpitii conuertit fœdere legem.
Quem dignum terris nutricia cura probauit,
Ipſe ſuo æternùm paſcatur in æthere nato.

SANCTA

SANCTA MARIA VIRGO, *Ioachimi Filia,* IESV MATER.

SCVLPTVRA.

QVam ſpectas, Lucæ ſcalpellum ſenſit imago;
Aſt vtinam calamo vitæ monumenta dediſſet,
Sacratum ſimulans ſimulachrum. Diua remouit
Hiſtoriam ſtatua, æthereo celebranda cothurno;
Maieſtaſque rei ſcriptori oblata modeſto
Officium vertit, cæliq́ue retorſit in vſus
Cæleſtes calamos, ſcalprumque, manumque miniſtrans,
Queîs cœleſte recelet opus non degener author.
Scriptor fit ſculptor, valet ars, & lignea veram
Effigiem fingit, totóque eſt viuida tractu.
Hiſtoriam exanimi ſinceram corpore diſces:
Non magè fœcundus, non eſt facundior vllus
Caudice, quem ſpectas, codex; in imagine fictâ
Vero Euangelium figmento impletur, in omnîa
Verte oculos, & ſcrutantem myſteria mentem:
Regali effigies exciſa eſt ectypa cedro,
Regia ſic faſces virgo, faſtóſque fatetur,
Vnde è viginti grauidans cui regibus arbos,
Virgineum cœlo culmum pro culmine ſacrum

Inſcr-

Inſeruit germen: virtuti ſeruiit ortus,
Poſtera degeneres proauos vt virgo probaret,
Ingenuis, genuina animis; tot dotibus ingens,
Nî ſtirps ſtipes erat, cæleſtem vt ſtipite ſtirpem
Hoc vno affirmes. Truncus, quo ſculpitur, aret;
Arente & ſterili prognata eſt namque parente:
Nîl niſi virgineum poterat Cytheræa perempta,
Nîl niſi fœcundum ſterilis producere venter.
Peccatum hîc nullum culpes, non nodus in iſto
Cortice, nec næuus, non crimen origine ductum:
Prototypum ſequitur typus hic, turpantis Adami
Sola lutum eluctans, vitium euitauit auitum,
Non olet hæc figulum, figulum factura reformans,
Et complexum illibati compendium honoris.
Nunc eius templum ſtatuæ, templo illa dicata eſt,
Vt templis, olim coluit quæ templa, colatur,
Atque aras æternum habitet, queîs trimula virgo
Admota integrum deſpondens innuba florem,
Jlla Deo vouit, Deus illi, & prodiga ſeſe
Donando, pronum impetrauit, munera, cœlum.
Fabrili forma aſt ligno cur nubilis hæſit?
Num ſpecioſa refert facies connubia fabri?
Grande ô coniugium! cælebs viuebat vterque,
Sic cœlorum animæ; queîs expers corporis vſus,
Sic ſtatua hæc nubat. Sterilis nec tædia tedæ
Suſpicias, proles matris ſubnixa lacertis,
Et ludens gremio fœcundi gaudia partus
Applaudit. Surgunt trunco duo corpora eodem;
Fors dubites vtrum ex alio naſcatur, & illa
Nata Deo eſt, genuitque Deum, peperitque parentem,
In noua captiuum conſtringens fœdera cœlum,
Et matri natus, natóque reciproca mater
Illa Ancilla Dei, atque parens, & filia, ſponſa,
Quantâ cælum orbi, atque orbem compagine cœlo

 Nexuit?

Irrogat is, latè orbi continuò erogat illa.
At cur funereo cultu velauit amictos
Cæſaries vtrìmque humeros, ſtantemque, ſitúque
Deiectam ſtatuit, medióque dolore dolauit?
Nempe crucem iuxtà ſic ſtabat. Funera nati
Pertulit vt ſtatua, vt genitrix & femina ſenſit,
Femineâ in ſtatuâ, robur, ſenſuſque probatur.
Cum cruce cur ligno ſimili, cur cedrina facta eſt?
Forte crucis toto ſucceſſit pectore lignum,
Et tenui tenera inueſtiit præcordia libro,
Et rigido riguit nimis externata dolore?
Crux oppôſta cruci crucis altum perſtitit inſtar;
Indeiectam animam cruciatu animúmque volutans.
Quid magis argutè fata exprimat vltima? nempè
Incorrupta cedro ſtatua, eſt typus incorrupti
Corporis, vt numquam mortis mulctata tributo
Mortem abs interitu tulerit; buſtum abſque fauilla,
Nîl ſenſit pœnas moriens; quas vita redemit,
Lethum adeò lætum. Diuina eſt ſanctio, cuncta
Vt pereant, quoduis natum iſtâ lege tenetur
Damnatum. Quin tandem etiam mors vltima rerum,
Omnia mortua cùm fuerint, morietur & ipſa;
Parcæ adeò ſibi non parcunt. At cedrina radix
Iacturam reparans, quam noxia planta ferebat,
Condidit æterno meliùs ſua robora ligno
Hæc periit ſola, haud putruit, ſtrobe florida ſurgens,
Communes manes, & terram luſit hiantem.
Ne labor extremus deſit trans aſtra vehatur:
Eſt ſua pompa Heröinæ, ſtat fronte corolla,
Inque triumphalem præcingens tempora ritum,
Ritè coronat opus, ſimulachri ſumma coronis;
Alta paludatis veſtigia lambit in oris
Palla nitens, ſic procedens atque aëra calcans,
In cœlum venit, quondam quod venerat ad ſe,

Et vera inceſſu patuit Dea; ſed Dea certè,
Quæ cælumque ſolo, cælóque ſolum intulit; vnde
Deſpiciens terras, ſolio contermina Diûum,
Terque Auguſta ſedet, moderante tonitrua dextrâ,
Imperium empyreo faſceſque indepta ſecundos.
Materno deprompta animo cæleſtia terris,
Virgineóque ſinu gazas, pia dona, profundit,
Porrigit ignaris, donatque optantibus, vltrò
Jngerit ingratis: miſer hâc eſt nemo relictus,
Nî miſer eſſe velit. Teſtis vel imago loquatur:
Hinc pulſus nemo eſt vacuus, fruſtràue precatus,
Vt dubites? non incaſſum Turca ipſe rogauit.

SANCTVS IOANNES BAPTISTA,

Virginis ex conſobrina nepos.

PRÆCONIVM.

QVod digito monſtrat, Præconem Numinis audis?
Iam iam aderit. Nemo maior, ſed nec minor vllus
Hoc præcone fuit; ſupremus in orbe Prophetes,
Vltimus, & ſolis præcurrens Lucifer ortum,
Luciferi veſper. Cælo munire ſalutis
Dum conatur iter, noxarum pœnitet, orbi
Sacra lauacra dedit, panditque in imagine viuâ,
Quantus Meſſias eſſet, menſuraque diuûm,
Et Chriſto factus Chriſtus, Myſteſque ſacrando
Meſſiæ, quem luſtrauit luſtralibus vndis
Luſtratorem orbis, dubio Iordane lauaret,
Anne lauaretur, cæleſti nobilis ex quo
Labitur Eridano fluuius non inuidus, ille
In cælum ablatus, ſed huic cæleſtia ſeſe
Illapſa infudêre. O quantus, quantulus, inquam,
Ioannes! nihilo ſe fruſtrà æquare laborans
Contendit nemo fieri, & quàm cælitùs auctus,
Tam ſe diminuit, quicum omnipotentia certans,
Quantùm ille augenti ſe comminuendo reſiſtit,
Tam fruſtra ſeſe minuentem, vt vinceret, auxit.
Fortè Agnum more agnino vulgârit, an ore?

Obſequij vix ſe reputauit ad infima dignum,
Nimirum maior ſeipſo, qui dignior vnus
Et primus cunctis, ſolique Deo eſſe ſecundus,
Indubio præco Chriſto præcone probatus.
Vocalis magis hoc nemo, haud taciturnior alter,
Vix conceptus erat, patremque ſilere coëgit,
Vix natus fari ſecreta oracula iuſſit.
Viſceribus matris nondum formatus adorans
Nutibus excepit, quem ſenſerat hoſpitem in alui
Virgineæ thalamo, captiua repagula pulſans,
Vel tunc clamoſus, tardantis tempora partus
Increpuit, ſenſu geminas rimante latebras;
Non preſſit ſterili ſaliens ſua gaudia clauſtro,
Virgineo hos ſterilis debebat fœtus honores.
Vix vtero egreſſus ſeceſſit in auia eremi,
Hirtus, ieiunus, vigil, auſterique cameli
Exuuijs aſper, tinctis mel agreſte locuſtis
Cui victum faceret tenuem, didicitque tacendo
In muto nemore inter muta animantia mutus,
Quæ ſanctam quondam linguam eloquiumque decerent,
Altiùs hoc nemo fatus, non altiùs alter
Conticuit, nullus Vate iſto diutius infans.
Tandem nil niſi vox, è deſertoque diſertus,
Prouenit cæli tuba, totius organa mundi:
Omne malum inſectans, regales terruit aulas.
Truncum etiam caput inclamans, menſaſque laceſſens
Crudele in medias vbi ferculum obambulat eſcas,
Se morti viuam vox decollata probauit:
Hac præco vitæ ſublatus morte, profundus
Vt ſis, admonuit, totum caput ipſe minutus.
Meſſias inſtat; ſed adeſt, procumbe, viator.

IESVS

IESVS CHRISTVS,

Dei, & Virginis Filius.

M E T A.

SItimur, Aſſertor tibi clementiſſime, tandem,
O mega emenſi primúmque voluminis Alpha;
Nec Te contacto iam longiùs ibimus. Et quò
Procedat, qui Te accedit, meta vltima rerum?
Ipſe Tuæ princeps, & meta nouiſſima ſtirpis,
In matris proauis numeras, ſerò edite, pridem
Sexaginta tribus Patriarchis ſtemma coruſcum,
Atque tribum claudis, quâ non eſt notior vlla,
Nulla eſt nobilior; Reliquas carioſa vetuſtas
Patricias vnà ſtirpes commendat, & aufert,
Eduntur ſimul, vnà tempore eduntur edaci.
Tu novus, aſt antiquorum antiquiſſimus exis,
Maiores, ſed maior, habes, ſeròque futuros
Omni æuo ſpectas. Seuiſti nobilitatem,
Quam meteres, in Te redijt, quæ fluxerat à Te.
Cæleſtûm tu meta operum, mortalia cælo
Et mirùm, deuinxiſti cæleſtia terris,
Et Deus humanam ſumens ex virgine carnem,
Prodigium complêſti, vnum quod defuit orbi.
Tu meta antiqui, renouati temporis auſpex,
Summo ſolſtitio, hibernæ ſub frigora noctis
Annoque extremo natus, ſolem fugientem
Exoriens, vmbrarumque incrementa moratus,
Lapſum anni prohibens, ſæcli veteriſque, nouique
Spectator medius veniſti, interque calaris:

Nec falſus Janus, pacem rex pacifer altam
Recludens furui clauſiſti limina Ditis.
Tu ſuprema omnis meta es, Tu culmen honoris:
Contacto retro Reges ceſſêre beato
Aſtro nomi ſtabulo: quis faſtus explicet vltra?
Pro freno hîc iacuit ſternace ſuperbia fœno.
Aſtrorum reges ſectanea turba nouorum,
Quæritis excelſis fruſtrà præſepia in aſtris;
Vilibus hæc ſi non colitis præſepibus aſtra.
Scitè igitur proni capitum decora alta ruentes
Ante pedes miſère Tuos, non inſcij honorum
Vnum principium, ſummam ſe tangere metam.
Moſaicæ legis Tu meta, grauiſſima iura,
Cultellos, circum Tua circumciſio cidit,
Et ſpacia emenſæ ſynagogæ inamœna metendo
Metaſti, cultris lapidem pro limite figens.
Te gauiſa ſuam ſapientia tangere metam,
Fontemq́ue, & finem. Verbi te mole probaſti
Ante annos ſapiens, & vir puerilibus annis,
Cuî Phariſæorum duodenni exedra reuulſa:
Rabbini Teque audito, cùm cuncta docerent,
Nîl agnouêrunt ſe ſcire, infante magiſtro,
Seque eſſe infantes. Te inferna potentia metam
Suſpicit; huîc ſolâ ſolus congreſſus arenâ,
Deſerti arbitrio, ieiuno gutture fauces
Præfocaſti auidas, damnatamque ille regeſſit
Attritus frugem, vacuâque vt ſilibet aluo,
Viruſque exermis, tua inedia vicit inertem.
Et meritò æternis fomentum ardoribus vſtum,
Corruptam veluti Veſtalem, è rupe reuellens
Feciſti, vt, quondam qui Lucifer, Heſperus eſſet.
Tu peccati meta, ingreſſus Jordanis vndas,
Purgaſti, vt poſſint noxarum tergere labes;
Et velut Alcidis, fluctu mergente, columnâ

Vndarum incurſus tempeſtatemque coërces,
Votorum Tu meta mihi, Tu totius orbis
Et votum & vita es, patriumque merendo benignus
Peruadens mundum largâque in munera numquam
Defeſſus dextrâ, in vindictam & crimina lentis
Sæpè fatigatus pedibus: cui cura precantûm,
Et tardum peccantûm odium. Tu meta peremptæ,
Vitæ author, mortis, conuerſæ talio ſortis
Funeſtum poſtquàm ſtadium ſtudioſa peregit,
Quo nata eſt ligno, mortem confecit eodem;
Quoque prius mota eſt in limite ſiſtere iuſſa eſt.
Viſceribus poſtquam tremulis Te terra recepit,
Perſenſitque nouum, veterem auris reddidit Adam.
Quin Tua Te iactat, quæ per Te eſt, gloria, metam,
Scitque Orci poſtes dextrâ eluctâſſe cruentâ.
Audiſti Patriarcharum pia vota gementûm,
Et ſtygio lare ſubdûxti, empyreoque locatos
Securâ æternùm Proauos mercede beaſti.
Et queîs inſtemus, veſtigia monte relinquens,
Tam facilem feciſti aditum, vt ſit velle, volare.
Hìc igitur ſiſtens, meta optatiſſima rerum,
Claudo opus, hoc vno rectum, quia pertigit ad Te,
Nempè à Te quicumque errat, nimis ille deerrat.
Feſtivum hic tutâ facio ſtatione celeuſma,
Jnque auram æthеream foliorum carbaſa pendo.
Emeritus ſedeat calamus, velut anchora portu.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE



I N D E X,

Quo Patriarchæ, ſeu veri Chriſti Gentiles à præter-linearibus Charactere, ordine diuerſo, & numeris adnotatis, ſecernuntur.

PRIMA MVNDI ÆTAS.

Pueritia.

PASTORES.

1	Adam, Terræ filius.	Ænigma.	fol. 1.
	Cain, Adami filius.	Epitaphium.	fol. 3.
	Abel, Adami filius.	Tumulus.	fol. 5.
	Henoch, Caini filius.	Cenſura.	fol. 7.
	Irad, Henoci filius.		
	Mauiäel, Iradi filius.		
	Mathuſael, Mauiäelis filius.		
	Lamech, Henochi filius.	Vaticinium.	fol. 9.
	Iabel, Lamechi filius.	Proſopopœia.	fol. 11.
	Iubal, Lamechi filius.	Nænia.	fol. 12.
	Tubal, Lamechi filius.	Antitheſis.	fol. 14.
2	Seth, Adami filius.	Similes.	fol. 16.
3	Enos, Sethi filius.	Encomium.	fol. 17.
4	Cainam, Enoſſi filius.	Oppoſita.	fol. 19.
5	Malaleël, Cainami filius.		
6	Jared, Malaleëlis filius.	Expoſtulatio.	fol. 21.
7	Enoch, Iaredi filius.	Cenotaphium.	fol. 23.
8	Mathuſales, Enochi filius.	Euchariſticon.	fol. 24.
9	Lamech, Mathuſalæ filius.		

SECVN-

INDEX.

SECVNDA MVNDI ÆTAS.

Adoleſcentia.

MILITES.

10	Nöe, Lamechi filius.	Anathema.	fol. 31.
	Cham, Nöe filius.	Diræ.	fol. 33.
	Nembroth, Chami nepos.	Gygantomachia.	fol. 35.
11	Sem, Nöe filius.	Statuæ.	fol. 37.
	Iapheth, Nöe filius.		
12	Arphaxad, Semi filius.	Catalogus.	fol. 39.
13	Salem, Arphaxadi filius.		
14	Heber, Salemi filius.		
15	Phaleg, Heberi filius.		
16	Reu, Phalegi filius.		
17	Sarug, Reui filius.		
18	Nachor, Sarugi filius.		
19	Thare, Nachoris filius.		
20	Abraham Thares filius.	Narratio.	fol. 42.
	Iſmahel, Abrahæ filius.	Allegoria.	fol. 44.
	Loth Abrahæ fratris filius.	Topographia.	fol. 46.
	Lothi Vxor.	Metamorphoſis.	fol. 49.
21	Iſaac, Abrahæ filius.	Tragœdia.	fol. 50.
22	Iacob & *Eſau*, Iſaaci filij.	Monita.	fol. 52.
	Dina, Iacobi filia.	Inſidiæ.	fol. 55.
	Tribuni duodecim, Iacobi filii.	Somnium.	fol. 57.

TERTIA

I N D E X.

TERTIA MVNDI ÆTAS.

Iuuentus.

D V C E S.

23.	Iudas, Iacobi filius.	Etymon.	fol. 63.
	Ioſeph Iacobi filius.	Eulogium.	fol. 65.
24.	Phares Iudæ filius.	Prodigia.	fol. 69.
	Iob Eſau pronepos	Monomachia.	fol. 72.
25.	Eſron, Phareſi filius.		
26.	Ramus, Eſronis filius.	Aulieiſmus.	fol. 75.
27.	Aminadab Rami filius.		
	Moſes Leui nepos.	Apotheoſis.	fol. 78.
	Aaron Moſis frater.	Paræneſis.	fol. 81.
28.	Naaſon, Aminadabi filius.	Exemplar.	fol. 83.
29.	Salma, Naaſonis filius.	Gratulatio.	fol. 85.
	Ioſuë ex Ioſepho.	Triumphus.	fol. 88.
	Samſon ex Dano.	Idæa.	fol. 91.
30.	Booz, Salmæ filius.	Myſterium.	fol. 95.
31.	Obed, Boozi filius.		
	Gedeon Ioſephi nepos	Argumentum.	fol. 97.
	Iephte Ioſephi nepos.	Monumentum.	fol. 100.
32.	Ieſſe, Obedi filius:	Clauſula.	fol. 103.

VIRILIS MVNDI ET

Quarta Ætas.

R E G E S.

33.	Dauid Ieſſe filius.	Exegeſis.	fol. 109.
	Samuel, ex Ioſepho.	Epitheta.	fol. 113.
34.	Salomon Dauidis filius.	Scylla.	fol. 116.

35. Roboam

I N D E X.

35. Roboam, Salomonis filius.	Parallela.	fol.	121.
36. Abias, Roboami filius.	Edictum.	fol.	123.
37. Aſa, Abiæ filius.	Rogus.	fol.	125.
38. Ioſaphat, Aſæ filius.	Tribunal.	fol.	129.
39. Joram Ioſaphati filius.	Sententiæ.	fol.	132.
40. Ochozias, Iorami filius.			
41. Ioas, Ochozię filius.	Saxifragium.	fol.	134.
42. Amaſias, Ioæ filius.			
43. Ozias, Amaſiæ filius.	Gryphus.	fol.	136.
44. Ioathan, Oziæ filius.	Legatio.	fol.	139.
45. Achaz, Ioathani filius.	Hiſtoria.	fol.	142.
46. Ezechias, Achazi filius.	Index.	fol.	145.
47. Manaſſes, Ezechiæ filius.	Exomologeſis.	fol.	151.
48. Amon, Manaſſis filius.	Symbolon.	fol.	156.
49. Ioſias Amonis filius.	Epinicion.	fol.	157.
50. Eliacim, Ioſiæ filius.	Reuolutio.	fol.	160.
Ioachaz, Ioſiæ filius.			
Sedechias, Eliacimi frater.	Sortitio.	fol.	163.
Suſanna, Helciæ filia.	Admonitio.	fol.	165.
51 Jechonias, Eliacimi filius.	Threni.	fol.	169.

Q V I N T A M V N D I Æ T A S.

Senectus.

S O L I T A R I I.

52. Salathiel, Iechoniæ filius.	Iſagoge.	fol.	177.
53. Zorobabel, Salathielis filius.	Myſtologia.	fol.	180.
54. Abiud, Zorobabelis filius.	Genethliacon.	fol.	183.
Eſdra, ex Leui.	Miranda.	fol.	185.
55 Eliacim, Abiudi filius.	Academia.	fol.	187.
56 Azor, Eliacimi filius,			

57. Sadoch

57 Sadoch, Azoris filius.	Echo.	fol. 190.
58 Achim, Sadochi filius.	Vices.	fol. 192.
Ieſus Siracides.	Memoriæ.	fol. 195.
59 Eliud, Achimi filius. 60 Eleazar, Eliudi filius	Conſolatoria.	fol. 197.
Eleazar Protomartyr, ex Leui	Concio.	fol. 199.
Salomona Mat. Machab: ex Leui.	Icon	fol. 202.
Razias ex Leui.	Ethopœia.	fol. 205.
Matathias ex Leui.	Nemeſis.	fol. 208.
Iudas Machab. Matathiæ filius.	Trophæa.	fol. 211.
Ionathas, Iudæ frater.	Polyticon.	fol. 214.
Eleazar Ionathæ frater.	Emblema.	fol. 218.
Simon Eleazari frater.	Diploma.	fol. 221.
Ioannes Hircanus, Simonis filius.	Epilogus.	fol. 223.

SEXTA ET NOVA MVNDI ÆTAS.

SANCTI.

61 Panther, Eleazari filius. *Mathan, Pantheris frater.*	Partitio.	fol. 229.
62 Barpanther, Pantheris filius. *Iacob, Mathani filius.*	Naufragium.	fol. 232.
63 S. Joachim, Barpanth. filius. S. Anna, Ioachimi vxor.	Epithalamium.	fol. 235.
S. Ioſeph, Iacobi filius.	Tituli.	fol. 237.
Sancta Maria virgo, Ioachimi filia, Chriſti Mater.	Sculptura.	fol. 240.
S. Joannes Baptiſta virginis ex Conſobrina nepos.	Præconium.	fol. 245.
Ieſus Chrſtus Dei & Virginis filius.	Meta.	fol. 247.

FINIS.

ANTVERPIÆ,
Apud HENRICVM AERTSENS.
ANNO M. DC. LIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google